~~Bay 177~~

22380/B

DELECTUS
OPUSCULORUM
MEDICORUM.
VOL. I.

553 50

DELECTUS OPUSCULORUM MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM.

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum
notis hinc inde aucta recudi curavit

IOANNES PETRUS FRANK M. D.

*Medicinae Clinicae in Regia Academia Ticinensi
Professor p. & o. Academiae Scientiarum
Regiae Goettingensis & Electoralis
Moguntinae Sodalis.*

VOL. I.

TICINI

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

Virorum Illustrissimorum HALLERI, SANDIFORTII, BALDINGERI, GRUNERI, WITTWERI, WASSERBERGII, *aliorumque exemplo, sed ratione adhuc longe alia suffultus, praesentem collectionem non sine fructu, artisque Medicae apud nos emolumento compariturum confido.* CAESARIS AUGUSTISSIMI *gratia* ITALIAE *me incolam esse, atque praxeos ad lectos aegrotorum regulas in celeberrima Academia* Ticinensi *docere non ita pridem iussit: hoc ipso autem, gratissimum mihi imposuit officium, ut huic me orbis terrarum parti felicissimae, in quantum vires permittant, utilem redderem atque proficuum. Dolebam saepissime, cum in patria dilectissima adhuc morarer, & medici practici per multos annos, dein Professoris Medicinae practicae in* GEORGIA AUGUSTA *munere fungebar, dolebam, inquam,* GERMANIAM *tot egregiis* ITALIAE *operibus medicis, postquam in hac iam diu apparuerint, per plus*

res, ad minimum, annos privari: praecipue cum vel rariores sint, vel minoris Voluminis libelli, quam ut bibliopolarum attentionem excitare queant. In ITALIAM translatus, minus adhuc esse huic cum GERMANIA in rebus litterariis, quam isti cum Italia commercium, non minori animi adfectu sentio. Non quod egregii in hac parte Viri Medici non eâdem, qua nos aequitate, alienos quoque in arte profectus agnoscant, atque eorum mox participes fieri desiderent; sed quod innumera se hic opponant, quorum pars magna a bibliopolis eſt, impedimenta. Hi enim cum GERMANIAE bibliopolis libros nullos commutant, *sed* aere *crudo opus omne absolvunt, magnoque, &, ob locorum distantiam, insigniter aucto pretio, chartas illorum paucas atque notissimas saltem sibi comparare, suisque vendere consueverunt.*

Sed alia latet mali origo! .... infelix scilicet Latini sermonis inter utriusque regionis eruditos neglectus fere aequalis, & scribendi, si legi velis, idiomate patrio, in dies aucta necessitas. Memoriam torquent GERMANIAE filii, & temporis in addiscendis peregrinarum natio-

num linguis, quamplurimam partem consumunt; ut, iam fere fractis viribus, aliorum demum populorum scriptis gaudeant, illisque pro ingenio utantur: in qua parte quidem, taediis certe plenissima, a nullo alio populo facile superantur. Ast, an temporis impensi lucrum capiant, & an non longe maiorem laborum fructum acquisituri essent, si non rerum tantum septenis Nominibus, sed ipsi mox SCIENTIAE consecrare daretur indefessa certe ingenia, dubium, mihi saltem (qui hanc ipsam tamen viam feci) superesse non potest. In hisce terris, praeter Gallicae, & hinc inde Anglicae linguae studium, a medicis vix ullum studiosius colitur, & quamvis libri idiomate Latino exarati, ob suam cum Italico sermone affinitatem, facilius intelligantur, ut plurimum tamen patria conscripti sunt lingua, & ad exteros hanc ob rationem difficilius emigrant.

Sic igitur Latini sermonis apud eruditos abolitio, utrumque fere populum Commercio privat Litterario, quod certe, si maius inter nos existeret, unicuique messem largiretur ditiorem, & animos redderet in diiudicandis inge-

niis, atque veris in artem meritis, ex utraque parte aequiores.

Natum exhinc in me est desiderium, Italiae Medicis, praecipue iuvenibus, qui me duce artem salutarem addiscunt, aut in aliis locis a Germania magis adhuc dissitis, excolunt, partem saltem non ignobilem laborum praecipue Academicorum, quos illa vel dedit vel datura est, in manus tradere: pro ut iisdem tum praelectiones proprias illustrari, tum potiores artis cognitiones & medendi methodos ulterius propagari, aut confirmari crediderim.

Regulam mihi in eligendis iis, quae typis recudenda exhibiturus sum, imponere aliam nolui, quam ut ea, quae praecipuis aliis Collectionibus supradictorum inprimis Virorum industria inserta leguntur, evitarem, utque non nisi ea exhiberem, quae in hisce praecipue terris utilia fore credidero. Praxim Medicam quidem pro primario Collectionis meae obiecto habiturus ſum; interim neque Chirurgica scripta excludam, neque alia, quae artis praecipue exercitium propius concernunt. Scientia, nullibi adhuc magis, ac in Germania exculta, cuivis

tamen populo pernecessaria, MEDICINA scilicet FORENSIS, locum hic eo potiorem obtinebit: quo magis hanc artis nostrae eximiam partem, in fertili ITALIAE solo radices denuo figere fructusque optarem ferre maturiores, postquam prima certe huius, uti tot aliarum scientiarum semina, hanc ipsam pro patria quondam agnoverint.

Nova mihi hic loci videbuntur, quaecumque, ob praedictas rationes, ab Eruditis ITALIAE, vel nunquam fere, vel tardo nimis comparari poterunt paucisque sic tantum innotescunt, cum tamen omnibus innotuisse mererentur. Hinc inde ex meis aliqua, prout alii labores permittant, adiiciam, atque, ne alienis commisceantur, Asterisco (*) notari curabo. Interim non omnia, quae adnotationibus propriis destituta hic legentur, in me ipsum suscipiam; sed sententias auctorum diversorum lectori tradam ulterius diiudicandas. Neque materiarum ordinandarum mihi potior, quam novitatis erit ratio: quilibet enim ex quovis volumine secuturo ea sibi eligat eoque ordine tandem disponat, quem sibi commodissimum esse noverit. Voluminum numerum tempusque editionis apud me esse volui; quin tamen,

si gratum esse opus & aliis, senserim, licentia hac mihi praesumpta abusurus sim. Aliud mihi in caeterum, quam ut aliis, praesertim AUDITORIBUS *meis, prodessem, ab hoc opere emolumentum non proposui. Forte & meae quondam patriae,* ITALIAE *sic fructus medicos, in fasciculum collectos, ut iisdem mox frui possit, singulis annis transmittam: felix, si & hoc tandem modo, litterarum, in quo prima mei pars officii consistit, medicarum studium promoveam atque rerum utilium circulationem pro viribus secundem.*

HYPOCHONDRIASIS

Disputatio inauguralis, *Praeside* GEORG. MATH. GATTENHOFF, *Auctore* FRANCISCO ZUCCARINI. *Heidelbergae*, 1769. (*).

§. I.

MOrbus, a viſcerum ſub hypochondriis ſitorum adfectione a veteribus iam notatus, varia toties ſymptomatum ſyndrome illudens, inſulſo-

(*) In Germaniae Academiis, veri ſcriptorum eiuſmodi auctores vel ipſe Neodoctoris Praeſes, vel alii, artis iam peritiores, viri ſunt. Paucis iuvenibus medicis datum eſt, materias practicas, ſi obſervationes ſingulares, ſub alienis auſpiciis inſtitutas excipias, ita elaboratas tradere: ut vel novitate, vel alio titulo, attentionem Eruditorum ſibi arripiant; quamvis non ignorem, aliquando ex iuvenilibus omnino manibus, diſſertationes prodiiſſe, quae perutilem ſaltem compilationem ſiſtebant. Lex illa academica, quam in omni Germania & a Batavis, dein quoque Edimburgi, nec minus in Sueciae, Daniae Academiis, obſervatam vidimus, & qua ſinguli Doctoratus Candidati, ſcientiae ſuae ſpecimen publicum edere tenentur, optimis certe anſam dedit elaborationibus, illique omnino magnam

que a Gallis vaporum (les vapeurs) titulo illuſus, potiſſimum litteratorum miſerum ſtipendium

---

artis noſtrae partem debemus. Interim fateor, inſtitutum hoc, ob cuius eximios ſaepe fructus, Exteri nobis invidebant, quodque ab his nova lege ſubinde receptum fuiſſe non ignoramus, finem ſuum utplurimum aberraſſe, hinc non immerito, prout mihi ſaltem videtur, a SUMMO IMPERATORE, cum alia utiliorique lege fuiſſe commutatum. Diſſertatio, uti vidimus, a Neodoctore ipſo vel raro admodum, vel utplurimum ita conſcripta, ut ex ea, novae dignitatis argumentum capi non potuerit, nullam certe Candidato in publico fidem conciliare potuit maiorem; cum interim expenſarum pro illo rationem augere, &, quod potioris momenti eſt, ſat magnam temporis Academici partem operi tam ſaepe inutili, impendere debuit. Voluit ergo IOSEPHUS II., ut rigoroſo ad lectos aegrotorum examine, quid valeant Neodoctoris humeri, quid ferre recuſent, publice comprobaretur, crumenae vero Candidati (forte pauperioris, quam ut Profeſſoris ſui filios litterarios adoptare poſſet) parceretur, temporiſque Academici maior haberetur ratio. Nulli interim hoc ipſo vetitum erit, ſcientiae ſuae tentamen, ſi libeat, edere, & ſi quid, publica attentione dignum dicendum habeat, typis mandare: eo enim nunc vivimus ſaeculo, quo praela, abſque lege id iubente, pridem forte neceſſaria, ſatis abunde ſudant, quin ex inſtituto inundationis Litterariae augeatur periculum. — Quod ad praeſentem diſſertationem ſpectat, difficile eſt,

audiit, nunc ſuo in plebem ipſam dominio. Medicorum conſilia ingeniaque fatigat; ut tum a ſua noſtro aevo frequentia pertractationem academicam mereatur, tum ut a vagis vulgi ac Medicorum quorundam praeiudiciis in tyronum gratiam ſalutiſque publicae commoda depuretur.

§. II.

Varia naſcentis mali, varia adulti facies eſt. Lentis plerumque gradibus obrepit; aliquando ſub diuturna animi occultaque aegritudine, moerore ac tacito curarum morſu, ſubita adfectuum, plerumque ſpaſticorum, fallaci vehementia erumpit.

1. Inſolita quaedam preſſionis in praecordiis moleſtia a cibo capto, faciliſque nec adpetitui cibi modo reſpondens ſatietas, cum levi dyſpnoea, laſſitudinis inſueto ſenſu, meridiani ſomni cupidine, accedentibus brevibus cordis palpitationibus, ſomnique nocturni excuſſa ſubito iucundia, initia ducunt, plerumque contempta; flatuum

---

Viri ſummi, mihique amiciſſimi GATTENHOFFII, qui & meis aliquando ſtudiis profuit, eruditionem ſtilumque nitidiſſimum, in ea non recognoſcere.

fatigant moleſtiae, multiſonoque murmure venter flagrat, atque in hos, dum moleſtiarum ſuarum cauſſas refundunt, facile ſibi ſatisfaciunt, ac in eſſentiarum ſuarum ſtomachicarum uſu, addito a cibis ſolertiori Coffeae potu, adquieſcunt; vini ſaltem generoſioris uſui eadem ex medela vacant, atque nonniſi leni addita crapula veſpertina, ſomni quietem conciliant; alimenta interim duriora toties melius, quam molliora tolerant digeruntque.

2. Pluribus licet a prandio coenave hae moleſtiae ſint; videris nihilominus, quos ventriculi potius vacuati tempore, circa veſperum, ante coenam maneque, incommoda premunt ſingularis, quam explicare nequeant, anxietatis, abſque ulla quidem ſpirandi difficultate, palpitantis cordis, capitis nubili, levique ſed fere continua vertigine nutantis ſibi viſi, ſuoque, ut credunt, muneri imparis, animi inquietioris, cum levi etiam artuum tremore iuncto. Quod moleſtiarum genus cibo capto, continuo adeoque a ſummo mane modici cibi vinique uſu, totumque vorando diem, ſolarentur.

3. Fugaces de nocte ſomni, atque dum ſenſim obrepunt, ſubitis interpellati pavoribus, cum ſenſu ſaepe ſubitaneae, fulminei inſtar ictus, viſcerum abdominalium concuſſionis iuncto, an-

xietates cum cordis palpitationibus cumulant; metuque nunc apoplexiae, nunc catharri ſuffocativi, nunc epilepſiae terrent (*): ſed rediens a ſequente tranquillo demum ſomno animus, manens corporis vigor & adeptitus integritas haec ſolatur mala, metuque tantiſper exuit.

4. Crebrae phlogoſes, atque capitis praecipue, ſaepe extremorum artuum incaleſcentia, cum intercurrentibus etiam horroribus, aliquando maiori mali gradu, continuo fere manuum pedumque frigore tremoreque, inter anxietates animi futurorumque malorum praeſagia, febris ideam ingerunt, atque ſub proprio mali ſui continuo ſtudio, perpetua pulſus proprii percontatione, febris hecticae pavores animo volvunt revolvuntque; ac Medicos, tum ut ſua, quam e venis

---

(*) Senis Venerabilis, a iuventute Hypochondriaci exemplum habui, qui cum in caeteris omnibus prae aliis ſaperet, levi ſatis morbo laborans, ventriculum ſibi *perforatum* eſſe credidit, & cum ego per plures dies opinioni reſtitiſſem, ipſius quoque GATTENHOFFII conſilium expetiit. Poſt alios tandem dies fidem conſolantibus nobis adhibuit. Heu! mortis poſt triennium futurae naturam triſteque fatum praeſenſiſſe Virum integerrimum diceres: ut qui, exhibito ſibi enemate, perfoſſoque a fiſtula, per Chrirurgum ruditer intruſa, inteſtino recto, infelix obiit.

manuum nunc valde intumeſcentibus, nunc ſubſidentibus colligunt, plethora per VSectiones, liberentur, tum febris ſuae curationes adſignentur, a ſummo Archiatrorum ordine ad infimam plebis medicaſtrae ſortem, ex anicularum, carnificum, quin & ſaepe ſacerdotum, urinas ex voto olentium, claſſe, per totam ſenſim provinciam fatigant; ſed nullorum demum, ex propria nullius hactenus ſucceſſus experientia, niſi proprii ſtudii conſentanea ſequuntur conſilia.

5. Febris vero, ſiqua veris comitatur phoenomenis, aut aliis, ſaepe epidemicis e cauſſis nata, omnino irregularis, multa difficultate tum e coctionis criſeoſque perturbatione, tum convaleſcendi labore ſtipatur, verum natae ipſius vi morbi febris, omnino irregularis, obſervationes in ſemetipſis referunt cl. Viri (*a*); quae variabili plane typo, apyrexia vix perfecta, redierit, l. maiori bono, aliarum febrium more, paroxyſmum ſudore finierit, aut levarit ſaltem.

6. Alvus aliquibus tardior eſt, tardiſſimaque aliquando (*b*), ut nonniſi ſicciſſima dimit-

(*a*) GARBOE *experim. ca. mal. hyp.* §. VI. HOPPE *Hamb. Mag.* Vol. VIII. p. 604. 608. Vol. IX. p. 340.

(*b*) Alvi ad 3. ſeptimanas obſtipatae in hypochon-

tat (*); aliis ac pleriſque mollior, ſtercoraria, male mixta, biliofa, rufa, ſubatra, ſaepe pallida, ſaepe foediſſima, repetito per diem niſu, fere teneſmode, ſecedunt: interque ea alvi phaenomena tumentibus haemorrhodium tuberculis anus flagrat, aut iis per intervalla fluentibus, aut perpetuo etiam, ut novi, quotidiano pauci ſanguinis fluxu notantur: ſed & de inventis malorum ſuorum in aurea vena cauſſis, naturaeque per eam molimine laetantur, atque inter

driaco exemplum habet KAEMPF *de infarct. ventric. Vol. III. diſſ. pract.* Hall. it. SWIETEN. T. III. p. 492.

(*) Caprarum ſtercori ſimilia magnis conatibus quamplures alvo excernunt: quae omnino de magna tanti inteſtini, ſaepeque ſatis diuturna contractione ſpaſtica teſtari poſſunt. Monere iuvenes medicos hic expedit: impoſſibilem ſaepe ſub hoc ſtatu eſſe clyſteris adplicationem, niſi, cum Chirurgo ſupra memorato, inteſtinum laeſionis velint exponere periculo. Poſt breve quandoque tempus, imminuto ſpaſmo inteſtinali (quem apud inaſſuetos & operationem hanc extimeſcentes homines, vel recuſantes illam infantes, novi fuiſſe conſiderabilem) facillimum erit, fiſtulam ano immittere, opuſque hoc feliciter abſolvere: quod, communiſſimum ſcilicet, ſaepe nimis rudibus committi manibus, & magnis ſic multiſque inteſtini morbis anſam porrigere, doleo.

amicorum Medicorumque etiam adgratulationes ; animum feliciore erigunt augurio ; aureos morbi ſui fontes aequanimius ferunt , obſtetricante Medico , eos nunc fodiente , nunc fovente , emolliente , nunc irritante , nunc ſugente , nunc quocunque artis ſuae , plerumque arcano genere conſulente .

7. Palpitationis quidam ſenſus , uti omnes aliquando vel varias ſaltem partes , ſenſu ac irritabilitatis vi gaudentes , ferit , uti refert FRACASSINI (*a*) ; atque in ſe ipſo tremoris ac palpitationis ſubtercutaneae ſpecie ſenſit GARBOE (*b*) ; ita & potiſſimum partes interiores tenet , & trementis cordis , aut Aortae , aut Coeliacae palpitantis ſenſu , polypi latentis aut anevriſmatis formidine repleverit aegrum Medicumque , ut novi , alias ſat celebrem ; aliquando coniuncta perpetua quaſi circa ventriculum preſſionis moleſtia , ac continuo plerumque ingeſtorum vomitu , pancreatis ſcirrhoſi & iamiam carcinomatoſi ſpecie prognoſique fefellerit (*c*) .

(*a*) FRACASSINI *Opuſc. Pathol.* p. 273.
(*b*) GARBOE l. c. §. VIII.
(*c*) Pulſationem in aorta , art. mammaria , coeliaca tam vehementem , ut aneuriſma ſimularet , adnotat FRACASSINI l. c. p. 243. 272.

8. Sed aliis has ſimileſque inter moleſtias, fortior auctuſque adpetitus (*a*) ſponte diſiicit hos mentis pavores; immo aucta ſaepe animi laetitia, atque in riſus proclivitas, aucta ſalacitas, nocturna per ſomnum λαγνεύματα vegetioris etiam corporis ideas ſubſtituunt; ut praematuris ſibi conſulant matrimoniis, vel naturae vires ſcortando iactitent; nihilominus ſua, quae cum Medico maxima eſſe ſolet, amicitia, ſuas vel haemorrhoidibus, vel flatulentiis, vel aliis queiſcunque cauſſis potius, quam turpitudini querelas deferunt.

9. Aliae imi ventris afflictiones variant; ſaepe lumborum, oſſis ſacri dolores, ſaepe tormina & cardialgiae vexant; alios ſtranguria affligit; alios modo cum lento ſtillante humore aliaque affectione genitalium moleſta, urinae emiſſio, modo eius etiam abſque ullo dolore in veſica ſuppreſſio vexat. Saepe ſub anxietatis ac viſcerum palpitantium ſenſu ingruente, urinae copioſae aquoſaeque fluunt! ut & hac ratione varias morborum formas ſimulent, aegroſque novis terroribus compleant: ita diabetem cum

(*a*) WHYTT *Abhandl. von der Hypochondr.* pag. 188. *It. not.* ad HALESII *haemat.* p. 178.

paſſione hypochondriaca coniunctum deſcribit KRAZENSTEIN (*a*); calculum renalem ſaepe mentiri, obſervat FRACASSINI (*b*).

10. Verum non ſoli hi viſcerum abdominis limites ſunt, morbi huius ſaevitiam mirabileſque formas concludentes; quin in alias ſimul partes, totumque corpus ſaepe numero porrigatur: praeter anxietates cordiſque palpitationes, pectus dyſpnaeae quodam genere, quod ſubito ingruens, peripnevmoniam notham, catarrhi ſuffocativi ſpeciem, aemulatur, per intervalla affligitur: ſed, uti ſubito animi adfectu, terrore ſaepe, naſcitur: ita eo mutato, cedit, contrariiſque ideis evaneſcit, ructibus flatibuſque ſurſum deorſum, liberato Aeolo, mirabili per inteſtina murmure ſpirantibus. Aliis ſaliva copioſior (*c*),

---

(*a*) *De diabete Vol. IV. Diſſert. pract. Hall.* p. 56.
(*b*) *L. c.* p. 241. 249.
(*c*) SWIETENIUS T. III. p. 507. ROPER *de ptyaliſmo Vol. I. diſp. pract. Hall.* p. 453.
(*) Conſtantiſſimum fere morbi huius ſymptoma eſſe obſervavi, muci tenacioris, fauces matutino utplurimum tempore obſidentis, continuam fere exſcreationem: ita ut perpetuas medico, de tenacitate humorum, querelas moveant, & ſpiſſum accuſent ſanguinem, cui incidendo atque reſolvendo, copioſiſſima adhibet, ex omni remediorum genere, plebs medica. Idem fere muci

aliquando dulcis (*a*); alios haemoptöe crebra; alios anginae quaedam ſpaſmodicae, abſque conſpicuo faucium vitio, torquent, ſaepe redeuntes (*b*).

11. Atque in tanto ſymptomatum numero, capitis mala maxima eſſe ſolent, ut cephaleae non tam periodicae vel vagae, modo caput univerſum, modo has, modo illas partes ſaevo tormento occupent, nunc obtuſae tenſionis, nunc frigoris, nunc gravantis ponderis, ſtuporis, ſaepe vertiginoſi relicto ſenſu: ictus cuiuſdam celerrimi & quaſi fulminei, caput traiicientis ſenſum, ſenſibili cum ſono, velut fidei in tetrachordo nimis tenſae, ſubito nunc ruptae

afflusus a prima emeticorum in ventriculi nervos actione inſequitur, eundemque fere a quovis animi pathemate fortiore effectum in liquida oris cavum irrorantia obſervo: ita ut mox ſiccum hoc fieri & viſcidum ſentiamus, quod brevi antea madidiſſimo rore humectabatur. Prima quoque febrium invaſio, hoc ſigno ſtipari ſolet: ex quibus omnibus colligendum eſſe duco, nervorum potius in glandulas faucium & oeſophagi imperio, hanc muci ſecretionem augeri, mutari; nec ab hoc ſigno, ad praeternaturalem humorum craſin praepoſtere eſſe concludendum.

(*a*) HALLERUS *Elem.* T. V. p. 115.
(*b*) SWIETENIUS T. II. p. 706.

tinnitu, tempore obrepentis ſomni, expertus eſt GARBOE; alii plures dantur, eo toties ſenſu territi.

12. Crebras inter ſubitaneaſque phlogoſes, motus in variis faciei muſculis oſcillatorii perſpicui repunt; ut celerrime mox palpebra vibret, modo labia tremant, modo ſenſus ſaltem aliquis tracti ad latus labii, vel cuti inhaerentis irritantiſque pili, quem manu iterato abſterſerint, divexet.

13. Oculis ſcintillae ſubitae, modo muſcarum volantium, nigrarumque macularum ſpectra obverſantur, ut imminentis iterum apoplexiae, vel ſaltem coecitatis, varioſque alios irritoſque metus animo agitent.

14. Cum qua corporis conditione peculiaris nectitur hypochondriacorum pſychologia; cumque repente per fibras celeri inordinatoque motu, nerveorum ſtaminum inordinatae cientur vibrationes, a mente haud regendae ſatis; atque inter varias phantaſiae turbas, ſeries cogitationum male cohaeret: celerrimis vividiſque ideis phantaſia luxuriat, ut ingenii etiam vi acriore polleant, qua obiectum in omnibus notionum particulis conſtantius accuratiuſque perluſtrent; niſi quidem imaginationis vis maior iudicium

rationemque perturbet (*a*) : haecque illa vis eſt, quam animum Entheon Poëtae vocant ; quae vivaciſſimis, quas fertilis imaginatio ſubminiſtrat, ideis ſummos artifices reddit, atque ad optima quaeque opera excitat (*b*) ; languens languorem corpori animoque inducit ; donec excitata quacunque ratione, ad priſtina opera excellentiora redeat : novit homines eruditos BOERHAVIUS (*c*), qui in loco quodam ſapientiſſimi erant, ſed inde egreſſi, inſaniebant prae melancholia, reduces iterum ſapientes erant. Ita in contraria toties, mutato ordine idearum, animus trahitur, ut in omnia etiam animi pathemata excedat ; mox in riſus cachinnoſque leviuſculo momento diffunditur, rumpantur ut ilia Codro ; mox ad triſtitiam lacrymaſque facili e cauſſa redit : homines ſcenicos, qui avidam plebem, riſum movendo, auro emulgent, geſtu faciles ſalibuſque

(*a*) Imaginationi indulgentes, attentione & iudicio minus valere *Conf.* KLOEKHOF *de morb. animi* p. 56.

(*b*) Maracum Poëtam Syracuſanum, ex DONATO memorat Boerhave *de morb. nerv.* p. 406., qui optima ſua carmina non niſi furens & mente captus componebat, ſed ſedatus, nihil praeſtabat excellens.

(*c*) BOERHAVE l. c.

plenos, plerumque hypochondriacos eſſe, & ſibi ſolis vix ſufficere, tum demum ridiculos, quando ad officium redeunt, & confluxu hominum excitantur, adnotat BOERHAVE (*a*); addit HALLERUS celebre exemplum PEQUELINI de MOLIERE, qui aliis facetiſſimus, ſibi triſtis vitaeque pertaeſus. Mox tacitis animi furoribus nonniſi hoſtium ſuorum, quos fingunt, damna neceſve ſpirant, militumque fortiſſimorum ideas fabricant; mox data occaſione, canes in aula iovis legatos apud PHAEDRUM adparente DIVI Maieſtate, aemulantur. Impavidi nunc, moleſtiarum ſuarum impatientes, ultima ſibi fata vovent expectantque; mox mortis imagine metuque pavidi, inter triſtia ſenſorii communis nubila terentur, torquentur: amore nunc rapiuntur, nunc odio; animuſque commiſſi criminis conſcientia ac poenitudine lacrymis culpam expiat, ſed ad idem mox facili occaſione rediturus: qua in ſenſorii communis mobilitate rectiores probitatis ideae, quas conſtantius ſervent, intercurrentibus antiquis, queis adſuevere (*b*),

---

(*a*) BOERHAVE *prael. ad inſtit.* §. 327.
(*b*) Eae ſunt, quas Poëta canit: *Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.*

l. iis certe, quas averſando diuturnas inter animi luctas ſibi imprimunt, turbantur ideis; quas ſub mediis pietatis exercitiis, variis motibus ac geſticulationibus totidem velut diabolos, quaſi muſcas, abigere velle videantur. Tanta ſaepe phantaſiae luxuries eſt, ut alieno idearum ordini ſi avidius inhient, ſibique in iis placendo, eas ſenſorio communi vividiores reddunt, in malencholiam ipſam maniamque proximam ſibi viam parent.

15. Hac corporis mentiſque conditione ſunt, qui victas dant manus, lectoque vinctas; corpus ſimilibus malis debile, cauſſarum externarum, quas omnes ſibi nocivas ominantur, ſerie, ipſiuſque äeris liberioris uſura eximunt; quaeſita vitae in omni genere mollitie ſumma, turbas ſuas ſolantur; demumque ſenſim ſocietatis humanae officiis excuſſi, rectiſque corporis & mentis uſibus deſueti, irritis pharmacorum diſpenſatoriis, ſuas inter curas medendique ſtudia tabeſcunt, tenueſque propediem, ut credunt. relinquent exuvias, angelica mox chryſalide avolaturi. Advocatum deſcribit GARBOE (*a*) per octo annos lecto affixum, quem ſenſim abſ-

(*a*) GARBOE l. c. §. X.

que pharmacis, niſi ſolius rhei tenui ac repetita doſi, ad artuum ſuorum uſus atque communis aurae pabulum reducendo, ſola diaeta ſanaverit. Alii dantur per plures annos lectis ſuis affixi, Medicorum conſiliis obluctantes (*). Felicior ſors aegro adſulſit, quem MEAD (*a*) deſcribit: qui ingraveſcente morbo mortem ſibi inſtantem denuntiat, iubetque igitur, ut moris eſt, campanam funebrem in templo, aedibus ſuis vicino, pulſari, quaſi neniam ſuam ante ſupremam vitae horam audire volens; campanarum autem pulſator, cum male rem agere videatur, iratus e lecto ſurgit, manibus ſuis modum rectius pulſandi monſtraturus; quod cum fecerat, totus ſudoribus diffluens, ad lectum redit, mox

(*) Quamplurimos Medicos cum hypochondriacis iniuſte ſatis procedere, obſervare poſſumus. Vel enim credulos nimis, remediis obruunt; vel querelis crudeliter irrident, neque ſenſuum teſtimonio fidem adhibent; qui, licet aegrotos, abſque maiori cauſſa, paveſcere morbumque periculo plenum credere faciant; non tamen ob id, mali nihil ſubeſſe, omneque diſturbium ab IMAGINATIONE proficiſci, docere poſſunt. Ipſa hic imaginatio nimium tenſa, morbus eſt; quem, ſi amica conſolatio lenire poteſt, non phyſico deſtituitur illa principio, maleque a ridente Medico exaſperatur.

(*a*) MEAD mon. & praecept. med. p. 149.

expiraturus. Vitam autem reddidit iſte labor; & convaluit.

§. III.

Verum & ad morbi hiſtoriam pertinet, ſubiecta morbo hypochondriaco obnoxia, eiuſque mutationes varias, quas fida crebraque obſervatio demonſtrat, conſideremus.

1. Quanquam huc praecipue tenuioris corporis habitus pertineat, nativa nervoſi ſtaminis partiſque ſolidae teneritudine conſtans; cum qua a parentum ſimili morbo toties traduce haereditario diffunditur morbus: dantur nihilominus

2. Teſte TRALLES (a) lacertoſi, robuſti toroſique viri, nihilominus hypochondriaci, dantur ſanguine ſucciſque pleni, aeque ac macilenti; dantur exercitati mobilique vitae generi addicti perinde, ac ſedentarii otioſique, hac adfecti aegritudine; ſed praecipue huc pertinent, ſi recte attenderis, tum ii,

---

(a) TRALLES *de Opio*. P. III. p. 37.
(*) Quadratos viros, aratrum ducentes, & ego plures vere hypochondriacos, vidi: viderunt alii practici.

3. Quos delicatior parentum ſinus a teneris molliſſimo vitae genere fovit, atque a quovis cauſſarum externarum liberioriſque ac frigidioris aurae adflatu ſollicite cuſtodiit non tam, quam ſimul prima animi, in mala propenſi, licentioriſque vitae germina aluit explicuitque. Tum ii,

4. Qui ſub rigidiore Praeceptorum imperio teneram iam aetatem ſtudiis meditationibuſque manciparunt, vitamque non niſi ſeverioribus ſtudiis terunt. Tum ii,

5. Qui primos pubertatis ſtimulos ſecuti, vel vaga venere, vel, quo non aliud turpius pernicioſiuſque, quod Cl. TISSOT deſcribit, ſcelere, vel praematuro matrimonio, molliora adhuc ſyſtematis nervoſi ſtamina peſſumdant. Tum ii,

6. Quos duro egeſtatis iugo, vel alia quavis e cauſſa perpetuas inter curas animique moerores tenet neceſſitas. Tum ii,

7. Qui e vitae norma, quam ſine fraeno duxere, per omne libidinum genus vagam; nunc continuo vel religionis ductu, vel initi matrimonii honore imperiove; vel adſecuti muneris gratia, virum ſtrenuum ſeverumque agunt, ſuiſque incluſi cubiculis ad fornacis angulos vel ſuis negotiis, vel devotionis etiam exercitiis vacant.

§. IV.

Mutationes morbi addi oportet, quas experientia demonſtrat. I. Morbus a nativa debilitate nervorumque teneritudine natus, licet nunquam perfecte tollatur (*a*); miteſcit ſaltem adultiori aetate, atque mutato vitae genere, propriorumque errorum emendatione fere ceſſat (*b*).

II. Aliis in podagram demum fatiſcit morbus (*c*).

III. Circa annum aetatis quinquageſimum in ſcorbutum vel arthritidem mutari, obſervat LIEUTAUD (*d*).

IV. In phthiſin nervoſam maiori gradu mutari, obſervationes Franconicae adnotant (*e*), teſtaturque MORTONUS (*f*); quae demum in phthiſin pulmonalem abiret; phthiſi etiam pulmonali obnoxios hypochondriacos, eaque a pri-

(*a*) WHYTT l. c. p. 249.
(*b*) WHYTT l. c. p. 49. BILGUER *von der Hypoch.* p. 906.
(*c*) BILGUER p. 903. 907. LUDWIG *inſt. Cl.* §. 556. LOESECKE *Th. Spec.* p. 209.
(*d*) LIEUTAUD *Synopſ. prax. med.* p. 89.
(*e*) *Fraenck. Samml.* Vol. VIII. p. 132. 146.
(*f*) MORTONUS *phthiſiol.* p. 92.

ſtina anxiaque malorum ſerie liberari, adnotant Cl. viri (*a*).

V. Aliquando per exanthemata (*), glandularum ſubcutanearum ſuppurationes, ſolvi viſus eſt morbus (*b*).

VI. Alios deiectiones atrabilariae vel vomitus iuvere (*c*).

VII. Notandum huc pertinet, hypochondriacos minus inflammationibus, aut & febribus acutis obnoxios eſſe, quod obſervat Cl. WHYTT (*d*); imo peſti, aut aliis epidemicis morbis

---

(*a*) FRACASSINI l. c. p. 383. WHYTT l. c. p. 248. HILL. *von der Hyp.* p. 17. 18.

(*) Quadrageſimo ſuo anno, Vir nobilis, iam plurimo tempore ex hoc malo miſerrimus, ſanitatem mox a maculis lividis, latis, copioſiſſimis, manus praecipue obtegentibus, recuperavit. Has maculas uſque ad ſeptuageſimum quintum annum eo quidem cum ſucceſſu effloreſcere vidit; ut quotieſcumque minor eſſet, vel retrocederet illarum eruptio; mox priſtina ſymptomata & inquietudinem magnam pateretur; facta vero nova ad cutem depoſitione, optima mox iterum gauderet valetudine.

(*b*) WHYTT l. c. p. 114. HILL. l. c. p. 23.

(*c*) LUDWIG. l. c. §. 556. HAEN *rat. med.* P. IV. p. 30. KAEMPF *de infarctu vaſ. ventr.* *Vol. III.* HALL. *Diſſ. pr.* p. 121.

(*d*) WHYTT l. c. p. 250.

rarius obnoxios, ſed correptos acrius laborare; BILGUERUS adnotat (*a*).

§. V.

Alia aliorum celeberrimorum virorum experimenta obſervationeſque huc pertinent. Sanguinem ipſum hypochondriaci analyſi Chimicae ſubiecit Cel. COLBATCH, referente HALLERO (*b*); qua conſtitit portionem urinoſam ſanguinis fuiſſe maximam, oleoſi principii minorem rationem (*c*), carbonis minus (*d*) detectum fuiſſe. Alii ſectiones cadaverum eorum, qui hoc morbo obiiſſe fuerunt viſi, referunt: BONETUS (*e*) ſanguinem atrum in variis partibus collectum; item omenti vitia deſcribit; it. vaſa coeliaca, meſenterica praecipue affecta (*f*); varices in meſenterio, variaſque viſcerum labes, hepatis praecipue ac lienis varias corruptelas refert (*g*); diverſas viſcerum obſtructiones mutationeſque

---

(*a*) BILGUER l. c. p. 904.
(*b*) HALLER *Elem.* T. II. p. 104.
(*c*) HALLER l. c. p. 109.
(*d*) HALLER l. c. p. 111.
(*e*) BONETUS *Sepulch.* p. 226. T. I.
(*f*) BONETUS l. c. p. 231. 242. T. I.
(*g*) BONETUS l. c. p. 294. 301. 308. 309.

adnotat WHYTT (*a*); longam earum ſeriem LIEUTAUD (*b*), deſcribit: in qua illa notatu dignior, qua venam portarum vidit adeo dilatatam & ampliatam, ut genuini inteſtini molem ac faciem adſequeretur: ſimilem VP. ramum ſub coli inteſtini fine pollicis craſſitiem aequaſſe; vidit KUPFERUS (*c*); quam eandem venarum meſentericarum dilatationem BONETUS (*d*) deſcribit; vaſa meſenterii inteſtinorumque atro ſanguine infarcta, nullam caeterum viſceris laeſionem, inteſtinorum gracilitatem flaciditatemque, colorem varie mutatum, deſcribunt obſervationes Franconicae (*e*); imo & ſaepe nullas viſcerum obſervari mutationes adnotat WHYTT (*f*); uti crebrae infeliciſſimorum illorum ſectiones docent, qui toties a nece, ſibimet illata, cultro anatomico legalique examini, ad determinandam ex viſcerum conditione melancholiam, ſubiici, tra-ducta a VVbus ſtricta lege ſolent.

(*a*) WHYTT l. c. p. 152.
(*b*) LIEUTAUD l. c. p. 91.
(*c*) KUPFER *de volvulo ſanguineo Vol. III. Diſſ. pr. Hall.* p. 374.
(*d*) BONETUS l. c. p. 227. 242.
(*e*) *Fraenk. Anmerck.* Vol. VIII. p. 147. 155.
(*f*) WHYTT l. c. p. 168.

§. VI.

Hactenus experientiae: queis rationes medicae demum ſecurius innitantur. Atque ſi phoenomena deſcripta, quae proprie ſtrictiuſque ad morbum ſpectant, qui ex immenſo ſymptomatum numero morborum ilias quibuſdam audiit, recte perſpiciamus; certe nonniſi ſpaſmodica generiſque nervoſi affectione eſſe fundata, apparet; ſi morbi non per viſcera ſola abdominis, ſed per univerſum corpus dominium, eadem fere utrobique concuſſionis ſubitae phoenomena (§. II. n. 3. 11.) ſi palpitationis nunc abdominis (§. II. n. 7.) nunc pectoris & capitis (§. c. n. 12.) nunc cutis univerſae (§. c. n. 4.) diffuſos ſenſus; ſi immenſam quandam morbi mutabilitatem, qui a ſummis terroribus facile ad laetitiam functionumque naturalem ordinem redit (§. c. n. 3. 8. 14.); ſi affectuum animi imperium (§. c. n. 10.) in hoc morbo vel mutando vel producendo (§. III. n. 4. 5. 6. 7.) ſi cauſſas potiſſimum in nervos agentes (§. III. n. 4. 5.) ſi morbi mutationes ſpontaneas (§. IV. n. I.) atque in phthiſin nervoſam (§. IV. n. IV.) exitum; ſi denique nullas detectas viſcerum mutationes (§. V.); ſi alia morbi phoenomena, ſolo nervorum ſyſtemate comparentia, ſedulo comparaverimus. Rectius

certe Nevrophatiam appellari mavult MORGAGNUS (*a*); atque morbum ſolum ſpaſmodicum, a ſpirituum ataxia pendentem, ſtatuit FRACASSINI (*b*) it. FR. HOME (*c*) aliique, quo inordinatis ſpirituum motibus, ſpaſmodicis fibrarum contractricium ſtricturis, plus minuſve diuturnis conſtantibuſque, illa phoenomenorum effingitur varietas, ut modo ventriculi inteſtinorumque ac praecipue coli (*d*) vel duodeni (*e*) ſpaſmis, incluſi, qui ſemper praeſens eſt (*f*) aëris, rarefactique immenſo volumine, ſumma diaphragmati, hepati, vaſiſque omnibus abdominalibus iniuria cum ingenti anxietatis ſenſu inferatur; inde dyſpnaea (§. II. n. 10.) angu-

---

(*a*) MORGAGNUS *de ſed. & cauſ. morb. Ep. XLV. n.* 18.

(*b*) FRACASSINI l. c. p. 240. 245.

(*c*) HOME *princ. med.* p. 223.

(*d*) Coli tenſionem praecipue accuſat LUDW. *inſt. cl.* §. 553. it. PITCARNE *Elem. medic. Mathemat.* p. 191.

(*e*) Duodenum accuſat *Zach.* VOGEL *Kranckengeſchichte* P. I. p. 74. SCHMIEDEL *de duod. dign.* §. XII.

(*f*) Facili ingeſtorum, cumque liquidis noſtris mixtorum fermentatione ac putredine naſcitur; uti ſalivam, liquoreſque ventriculi & inteſtinorum aëre valde elaſtico ſcatere demonſtravit HALES. *haemaſt. Exp.* 23. §. V. cui experimenta WALAEI, SCHUYLII apud LISTERUM conveniunt;

ſtiori pectoris area naſcitur: inde ſpaſtica tenſione per oeſophagum porrecta, anginae ſpaſmodicae ſenſus (§. II. n. c.) inde pylori vel duodeni eodem vitio ingeſtorum vomitus (§. II. n. 7.); qua immani inteſtinorum diſtenſione, nunc conſtrictione ſpaſtica, alternis vicibus per totum canalem citiſſime ſaepe excurrente, flatuum non tam murmura obrepunt, globoſque abdominis volvunt revolvuntque, quam vaſorum tum per inteſtinorum tunicas repentium, tum vicinorum truncorum compreſſione, anguſtatione, inter varia vitalis circuitus obſtacula, ſanguis in vaſa liberiora maiori momento pellitur: inde capitis artuumque incaleſcentia ſubita alternanſque, vaſorum intumeſcentia (§. II. n. 4.) faciei rubor ſaepe ſubitaneus, vaſorum dilatatio, ut ampliatis orificiis ſanguinem fundant, cum crebra ſaepe haemoptoë (§. II. n. 10.) aliove haemorrhagiae genere; cordis ipſius auctus labor ac palpitatio, pulſationes in variis partibus enaſcuntur (*a*): inde in venis abdominalibus congeſtus ſanguis, vaſorumque ſenſim maiore atonia cumulatus, varia haemorrhoidum moleſtia (*b*),

(*a*) Ab obſtructionibus repetit MORGAGNUS l. c. Ep. XXXIX. n. 19. a convulſionibus l. c. n. 20. it. HALLER *Elem.* T. II. p. 246.

(*b*) Haemorrhoides a ſolis ſaepe flatibus recte dedu-

Inteſtinum Rectum, vicinas perinaei partes, ipſam veſicam urinariam (§. II. n. 6. 11.), imo altiora inteſtinorum loca mulctat; quorum vaſis dilatatis, ſanguis in inteſtina effuſus, moraque corruptus, ſenſim grumorum foeciſque atrabilariae ſpecie effunditur (§. IV. n. VI.); indeque tanta venarum dilatatio obſervata, ſanguiniſque atri conditio pendet. Vaſorum ſpaſmis crebrae illae tum in maioribus vaſis pulſationes, anevriſma aemulantes, tum in minoribus, per ambitum corporis diſperſis flagrant (§. II. n. 7.); alternoſque illos caloris frigoriſque ſenſus pariunt (*a*); viſque motrix, quae in fibra muſculari reſidet, tantopere irritata, in toto eiuſdem ſyſtemate diverſa motuum producit phoenomena, modo concuſſionis ſubitae (§. II. n. 3. 11.) modo muſculorum tractionis inaequalis, vel eiuſdem ſaltem ſenſus (§. II. n. 12.); in ventriculo auctum ſaepe appetitum (*b*) (§. II n. 8.); alias in aliis partibus turbas, ac praeci-

---

cunt *Fraenck. Anmerck.* Vol. VI. p. 312. Vol. VII. p. 506. it. MORGAGNUS l. c. *Ep. XXXII.* n. 10. Duodeni affectionem hic latere toties, *conf. Zach.* VOGEL l. c. p. 74.

(*a*) WHYTT l. c. p. 169.

(*b*) Ventriculi pathemata a turbata fibrarum actione repetit FRACASSINI l. c. p. 258.

pue capitis adfectiones (*a*) ; ſecretionis renalis (§. II n. 9.) nunc auctae , nunc imminutae phoenomena efformat : Atque turbata ſanguinis abdominalis circulatione , maior vis vaſis ſpermaticis illata , copioſiorem ſeminis ſecretionem , generiſque nervoſi irritati mobiliſſimique (§. II. n. 14.) ſtimulos addit (§. c. n. 8. §. III. n. 5.) ipſo uſu , maioreque vaſorum iniuria , cum creſcente in dies debilitate increſcente ; quae veneris phoenomena ſemper imbecillitatem nervoſi generis , morbos hinc ſpaſmodicos , aut praegreſſos , uti Arthritidem , Nephritidem , Epilepſiam , aut comitantes praecipue ſequi , obſervat GAUBIUS (*b*) ; eademque ratione in rabie canina , quae meris phoenomenis ſpaſticis conſiſtit , hos canum fere laſcivientium mores adnotat LISTERUS (*c*) : eadem hic phoenomena , quae in canibus exſecto liene viſa , adplicat BOERHAVE (*d*) .

(*a*) WHYTT l. c. p. 173.
(*b*) GAUBIUS *pathol.* §. 821.
(*c*) LISTERUS *de variol.* p. 6.
(*d*) BOERHAVE *prael. ad inſt.* §. 327.

§. VII.

Sed quae demum illa nervorum mutatio, unde tanta fibrarum vis, motuumque turbae pendent? Quae quanquam ex ignorata hactenus intimiore nervorum Encephalique fabrica, ignotaque plane ſpirituum materie indoleque, in tam abdito naturae ſinu, atque inſcrutabili immenſae ſubtilitatis arcano haud pateat: attamen obſervatis conſtat, hunc uti motuum ſenſuumque fontem, ita mutatum, earum functionum vitia, a ſumma immobilitate ac ſtupore, ſucceſſiva mutationum ſcala, ad ſummos ſenſibilitatis gradus inferre. Tactum ipſum alioſque ſenſus, mutatis nervis, ita perverti, exemplis conſtat, ut imminui pervertique ita viſus fuerit, ut ſe ipſum vix cognoſcere potuerit homo (*a*); nunc perpetuus quaſi frigidae aurae ſenſus incommodus eſſet; cutiſque tam ſenſilis redderetur, ut ſubtiliſſima tela pulcherrimaque Belgarum lintea aſpera viſa ſint; neque holoſerici tactus, neque Perſici mali tenera pubes ferri potuerit (*b*): in

---

(*a*) Exemplum in hyſterica refert VANDERMONDE *Recueil periodique* T. VI. P. I. Art. IV. Conf. GAUBIUS *Pathol.* §. 693.

(*b*) Exempla colligit HALLERUS *Elem.* T. V. p. 95.

morbis ſpaſmodicis univerſam fere corporis ſuperficiem ita tenereſcere, adnotat GAUBIUS (*a*), ut vel intentatus modo attactus etiam formidinem incutiat: tantam a diſcendente dolore hyſterico carnium teneritudinem, quae tangi recuſet, relinqui, obſervat SYDENHAM (*b*): Hydrophobia certe ad ſummum ſenſibilitatis augmentum redit; ut abſque rabie canina in morbis nervoſi generis obſervata ſit (*c*) a ſolo terrore (*d*) it. a colica pictonum (*e*) aliiſque morborum cauſſis, in genus nervoſum praecipue agentibus, ſingulari certe nervorum mutatione, quae non tam aquae aut cuiuſvis liquidi, quam aëris luciſque tactum intolerabilem horrendumque reddit (*f*): Eaedem in omni

---

(*a*) GAUBIUS *Pathol.* §. 694.

(*b*) SYDENHAM p. 269, 491.

(*) Monachum Hypochondriacum novit ill. *Weikardus*, qui, dum manum dextram cum ſiniſtra per aliquod tempus fricabat, tandem ructus vehementes expellere incipiebat, qui & poſt frictionem aliquamdiu continuare ſolebant: quod quidem experimentum pro voluntatis arbitrio repetebat. Ipſi *Weikardo*, hoc pridem malo adfecto, dum femora fricabat, ructus mox edere facile erat. *Vermiſchte Mediciniſche Schriften*, II. St. S. 11.

(*c*) MEAD T. II. p. 111.

(*d*) *Conf.* Comment. in ſc. natur. & med. geſtis T. XI. p. 55.

(*e*) TRONCHIN *de Colic. pict.* p. 18. 49.

(*f*) Aerophobos teſtatur MEAD *de venen.* pag. 104.

genere ſenſuum mutationes, mutatis nervis, dominantur: Olfactum acutiſſimum caninumque in hydrophobia BORELLUS refert (*a*); eundem in femina a morbo convulſivo natum refert Promptuarium HAMBURG. (*b*) ut amiſſo viſu, eodem diſcernere homines potuerit: Mirabile plane phoenomenon eſt foetor perpetuus, a ſola nervorum irritatione in hypochondriis, quod MORGAGNUS (*c*) deſcribit: Viſus obſcurationem antecedere paroxyſmum hyſtericum adnotat HEUERMANN (*d*): Ea ſaepe ſenſibilitas corpori flagrat, ut levi cathartico vel emetico, vel ſola cantharidum adplicatione, vel levi quovis terrore in motus convulſivos incidant (*e*): feminam refert BOYLE (*f*) ſono pulſatae cam-

SWIETEN T. III. p. 555. LISTER *de morb. chr.* p. 41. MORGAGNUS l. c. Ep. VIII. n. 28. 29. HAMB. MAG. Vol. XX. p. 548. Vol. XII. p. 401. 409. Lucis impatientiam teſtatur DESPREST *vid. Goetting.* Anzeig. an. 1758. p. 1152. MEAD l. c. HAMB. MAG. Vol. XII. l. c.

(*a*) BORELLUS Cent. III. obſ. 68.

(*b*) HAMB. MAG. Vol. XX. p. 301.

(*c*) MORGAGNUS *l. c. Ep. XIV. n.* 28.

(*) Foetoris perpetui, ab irritatione per *taeniam* in cavo inteſtinali, exempla obſervavi, & ad ſigna Vermium ille pertinet.

(*d*) HEUERMANN *phyſ. T. II. p.* 990.

(*e*) WHYTT l. c. p. 86.

(*f*) Conf. WHYTT l. c. p. 87.

panae vel alio graviore ; in ſummam ſemper ſyncopen delapſae. Quas licet nervorum mutationes ratio humana adſequatur neutiquam, effectibus certe manifeſtis conſtant perverſae mutataeque ſenſibilitatis partium ; quae maximam phoenomenorum hypochondriacorum partem non tam, quam ipſam cauſſam proximam ſibi vendicat ; unde potiſſimum ſupra dicta morbi ſymptomata oriuntur (*a*). Inde ſolidarum CH. partium vitia maxima parte fundantur, quae ad explicandam morbi originem requirunt cel. Viri: fibrae ſolidae debilitatem atque atoniam, relaxatum primarum viarum robur accuſant (*b*), cauſſarumque relaxantium claſſes, uti calidorum potuum abuſum advocant. Quanquam autem relaxationis & atoniae vitio omnino celerrimus ille partium motus, ſummaque in eum proclivitas poſito ſtimulo, repugnet, quae in nimia laxitate abeſt ; atque contradicat toroſi robuſtique & exercitati corporis, nihilominus hypochondriaci, obſervatio §. III. n. 2., morbique ſaepe ſine reliquis fere corporis noxis, diutiſſime

(*a*) Mutatae perverſaeque ſenſationi papillarum in ventriculo diſpoſitarum famem & appetitum auctum adſcribit WHYTT l. c. p. 181.

(*b*) CARTHEUSER *path.* P. II. p. 244. CHEYNE *act. Edinb.* T. VI. p. 134. 136.

protracti diuturnitas, demum ſenſim diſparens (§. IV. n. I.); debilitatem tamen, ſed eius peculiare genus in fibra motrice accuſaverimus; quod cum generis nervoſi vitio connexum, nimiam irritabilitatem, teneritudinem, mutatam perverſamque ſenſibilitatem, eiuſque ſpecifica vitia ſiſtit (*a*); queis ab ea certe, quae a ventriculi inflammatione aliiſque morbis oritur, diſtinctiſſima, toties iis laeditur commoveturque, quae maxime innocua, inſipida, omnique ſtimulo carent; commode acriora, aromata, ſpiritus calidos, quin & cum ſolatio perfert, abſurda toties adpetit, reliqua nauſeat. Atque licet haec ſolidae partis conditio iis nervorum vitiis per univerſum corpus porrigatur; ut recte quidem morbus univerſalis, non ſolorum hypochondriorum appellari debeat (*b*); prae reliquis tamen vel incipientis morbi, vel adulti etiam, potior in canale inteſtinali ſedes eſt; cuius perverſa ſenſibilitate inordinatiſque motibus deflagrat (*c*), licet abſque digeſtionis vitio

(*a*) WHYTT l. c. p. 83. 84. temperamentum omnino irritabile, conſtitutio corporis tenera, macra, pallida huc potiſſimum refertur a BILGUERO l. c. p. 252.

(*b*) FRACASSINI l. c. p. 237. 241. 244.

(*c*) In ventriculo ſedem praecipuam ponit *Fr.* HOFFMANN *med. conſult.* P. I. p. 216. 292. in ventriculo & inteſtinis WHYTT l. c. p. 96.

(*a*) ; quae etiam duriora melius commodiuſque ; quam molliora digerat (§. II. n. 1.) . Recte FRACASSINI (*b*) morbum ſolum ſpaſmodicum a ſpirituum potius ataxia, quam viſcerum coctioni inſervientium dyſcraſia pendere, adſerit.

§. VIII.

Fluidorum vitia an mali huius vel producendi vel fovendi partem ſibi vendicent, diſſentiunt Cel. VIRI; uti FRACASSINI (*c*) nullum in fluidis vitium concurrere, pluribus diſſerit momentis. Verum, ſi liquidi nervei in encephalo ſecretio leges ſecretionis univerſales reliquorum in C. H. humorum ſequitur; ut poſitis definitis vaſorum ſecretoriorum conditionibus, tum pro copia advecti arterioſi ſanguinis, tum qualitate variet; atque adeo eiuſdem determinata copia ac dotibus naturalibus, ſpirituum vigor, eiuſdem inopia, debilitas, ſed & qualitate mutata, liquidi nervei vitioſa indoles ſit (*d*); quatenus ut humor ſecretus, ex mixtione humorum

---

(*a*) WHYTT l. c. p. 97.
(*b*) FRACASSINI l. c. p. 241 244.
(*c*) FRACASSINI l. c. p. 245.
(*d*) Conf. LUDWIG *de contentione ſtudiorum moderanda* §. IX.

univerſali pendet, huiuſque depravatae vitio imbuitur. Recte ita BOERHAVE (*a*) a tenuitate ſanguinis maiorem ad functiones laeſas cerebri cerebellique diſpoſitionem inferri ſtatuit; eademque ratione turbatam ſanguinis craſin, & deficientem denſitatem inter affectuum nervoſorum cauſſas retulit WHYTT (*b*); uti videmus quotidie teneras puellas viroſque, quibus hoc nimiae tenuitatis vitium in ſanguine obtinet, a leviſſimo animi adfectu turbari, a minimo fragore totos contremiſcere, aliaque debilitatis nervoſae phoenomena prodere. Adeo ſanguinis aut & reliquorum humorum vitia haud eſſe excludenda e cauſſarum claſſe, adparet; quatenus aut ipſius liquidi nervei ſecretioni ſerviunt, aut per tenuiſſima vaſa, ubique nervorum non tam involucris, quam ipſi nervorum ſubſtantiae immerſa (*c*), varia nervis irritamenta adfricant: diſpoſitionem inde corporis ſcorbuticam inter cauſſas occaſionales refert WHYTT (*d*). Adfinitatemque hos inter morbos ipſe ſaltem ex

---

(*a*) BOERHAVE *de morb. nerv.* p. 154.
(*b*) WHYTT l. c. p. 138.
(*c*) BOERHAVE *de morb. nerv.* p. 57. HALLER *elem.* T. IV. p. 189. HEUERMANN *Chyr.* T. I. p. 38.
(*d*) WHYTT l. c. p. 115. 294.

effectu FRACASSINI (*a*) ſtatuit; atque in ſcorbutum facile terminari demum Hypochondriaſin conſtat (§. IV. n. III.); ipſaque COLBATCHII in ſanguine hypochondriacorum experimenta (§. V.) conſpirant, quae & tenuitatem & acrimoniam teſtantur. Pertinet huc certo acre in ſanguine genitum, atque inter cauſſas proëgumenas refertur (*b*); peculiarem lymphae morboſae indolem nonnunquam ſubeſſe, ſtatuit LIEUTAUD (*c*); inde morbos cutaneos repreſſos (*d*), it. fonticulos, ulcera antiqua ſiccata (*e*) ad ea mali genera conferre, obſervatio teſtatur; inde & felici naturae molimine, natis in cute exanthematibus ſolvitur, vel miteſcit morbus (§. IV. n. V.): eadem ratione a febribus diu durantibus, ſibique relictis, ea in ſolidis fluidiſque partibus vitia inducuntur aliquando, quae ſuccedenti hypochondriaſi faveant (*f*); dum repetito febris attritu, caloriſque vi, & ſolidae & fluidae partes exſolvuntur ſenſim, atque a naturali cohaeſionis gradu ac

(*a*) FRACASSINI l. c. p. 368. PITCARNE l. c. p. 192.
(*b*) WHYTT l. c. p. 108.
(*c*) LIEUTAUD l. c. p. 442.
(*d*) HILL l. c. p. 23.
(*e*) WHYTT l. c. p. 115. 137.
(*f*) WHYTT l. c. p. 84.

ſpecifica craſi deiiciuntur (*a*). Inter cauſſas remotas adeo eae referuntur omnes, quae denſitatem ſpecificam ſanguinis, naturalemque liquidorum tenuiorum craſin pervertunt; unde vaſorum viſcerumque functio, imminuta coctionis opera, partis ſolidae robur fatiſcit, viſque ipſa nervea, quae in ſingulis partibus definitis & ſpecificis ſenſationibus praeeſt, depravatur, facillimeque alienis oſcillat ſtimulis: quorſum haemorrhagiae nimiae per partum abortumve, vulnera, V. *Sies* nimis crebrae, it. vehementiores aliae per vomitum alvumque evacuationes referuntur; iiſque de cauſſis a puerperio vel abortu frequens malum obſervavit FR. HOFFMANN (*b*), it. SYDENHAM (*c*). Eadem ratione diaetae vitia varia id agunt, ut defectu probae nutritiae gelatinae, tum ſpirituum materie depauperetur ſanguis, tum proba e craſi deficiat, tum fibrae ſolidae ner-

(*a*) HALLER *elem.* T. II. p. 97. 106. 114. 133. Sanguinem a febre ſaepe reſolvi. *Confer.* SENAC *de recondita febris natura* p. 250. Sanguinem reddi ſcorbuticum. HEUERMANN *Bemerck.* P. I. p. 73.

(*b*) *Fr.* HOFFMANN *med. rat. ſyſt.* T. II. p. 112. Teſtatur WHYTT p. 84. HOME *princ. med.* p. 222. Crebraque purgantia ad hunc morbum diſponere notat FR. HOFFMANN *med. conſult.* P. I. p. 292.

(*c*) SYDENHAM p. 536.

veaeque vires cadant : Diuturnam hinc a carnibus abſtinentiam incuſat SYDENHAM (*a*); diaetam mere vegetabilem CHEYNE (*b*) ; abſtinentiam inediamque WHYTT (*c*) , aliique : qua ipſo vitali attritu diſſolvitur compages ſanguinis , acre ſalinum oleoſumque evehitur : victu vegetabili liquida animalia , ipſamque cruſtam inflammatoriam ſanguinis diſſolvi , ſuis evicit experimentis Theoph. LOBB (*d*) ; ut perpetuum inde effectum in mole corporis imminuta (*e*) , debilitate (*f*) , imo paralytica adfectione inducta , viderit . Fructuum horaeorum eadem ratio ac noxa eſt , in diſſoluto ab abuſu ſanguine (*g*), ipſoque naturali , quod a muco fibras involvente eſt , munimine nimis abſterſo (*h*) , aucta ſenſi-

---

(*a*) SYDENHAM p. 504.
(*b*) CHEINE *act. Edinb.* T. VI. p. 28.
(*c*) WHYTT p. 312. HOME l. c.
(*d*) *Th.* LOBB *de calc.* p. 34. HALLER *elem.* T. VI. p. 200.
(*e*) *Th.* LOBB p. 131.
(*f*) *Th.* LOBB p. 234.
(*g*) Ex immodico fructuum horaeorum uſu ſerum ſanguinis viridiſſimum vidit HUXHAM P. III. p. 69. muſti ex fructibus horaeis vim ſolventiſſimam teſtatur *Abhandl. der Naturforſchenden Geſellſch. in Zurch.* P. I. p. 282.
(*h*) Hinc diarrhaeae a ſucco fructuum maxime ſaponaceo HUXHAM l. c. p. 64.

bilitate (*a*); queis affectibus, accedente aëris, qui copioſus ineſt (*b*), per fermentationem evoluti, immani diſtenſione, hypochondriacis plurimum nocent (*c*); atque in plebe maxime, horum uti & muſti pomacei abuſui inhiante, ad hunc morbum producendum conferunt. Sacchari caedem noxae ſunt, cuius vis inſignis ſaponacea (*d*) eoſdem in effectus (*e*) conſpirat; atque uti a molliore vita vix abeſt, quin delicatioris gulae a teneris iamiam annis delicias perpetuo comitatur, ita merito has inter cauſſas pertinet (*f*): uti dulciariorum omnium, ſaccharatorum, mellitorum effectus nervis infeſtos, infantibus, feminis, hypochondriacis, hyſtericis maxime obeſſe, GAUBIUS teſtatur (*g*). Acidae ipſius acrimoniae, a cibo vegetabili natae, ſi liberior dominatur, is effectus conſtat, ut bilem alioſque influentes in digeſtionis operam ſuccos enervet

---

(*a*) Colica hinc ſaeva. TRONCHIN *de colic. pict.* p. 36. HUXHAM p. 60. 61.
(*b*) HALLER *elem.* T. VI. p. 222.
(*c*) BILGUER l. c. p. 186.
(*d*) GERHARD *m. m.* p. 215. 237.
(*e*) In ſanguine ſoluto exp. SCHWENNII eſt *haematol.* p. 189.
(*f*) ZIMMERMANN *von der Erfahrung* P. II. p. 282. it. BICKER *vid. Goetting. Anz.* an. 1768. p. 143.
(*g*) GAUBIUS *pathol.* §. 470.

(*a*); ſed & ultra primas vias, uti in debilibus fit (*b*) eluctata, ipſum fibrae terreae elementum diſſolvat ſenſim, cum dictae hactenus debilitatis, in ſolidis etiam invaleſcentis, effectu (*c*). Varia alia diaetae vitia ſunt, quae, vel ventriculi vires enervando, vel eius ſpecificam pervertendo ſenſationem, vel ipſorum liquidorum naturalem craſin turbando, agunt: Potuum certe nimiorum, ſpirituoſorum haec vis eſt, qua tum a crebra diſtenſione languet fibra muſcularis, tum papillarum nervearum ſenſus crebro alienoque turbatur ſtimulo, tum chylo, nimis diluto, hoc potuum gurgite, quin vires chylopoieticas expertus ſatis ſubactuſque fuerit, in ſanguinis orbitam praecipitato, crudo ſanguis humore inundatur: quod vitium, licet Veterum Germanorum robore ſubactum facile, aliena nunc Recentiorum mollitie, quae tantopere a Veteribus deſcivit, retento bibendi more, abſque noxis demum hypochondriacis non perfertur; debilitatem ſaltem inſignem tremulis manibus prodit, donec adſueto heſterni poculi ſti-

(*a*) GAUBIUS *pathol.* §. 325. HUXHAM P. III. p. 66.
(*b*) HUXHAM l. c. p. 14.
(*c*) MACKBRIDE *Verſuch* p. 163.

mulo animetur: accedit nimia ingeſtorum moles, victus lauti opiparique genera (*a*), ac frequens ille maxime aromatum ac gelatinarum ex utriſque Indiis & omnium animalium edulium genere concentratarum uſus; quo non tam inteſtinorum vaſorumque omnium ſyſtema gravatur debilitaturque, quam naturalis ſanguinis craſis pervertitur, atque intimius acrimoniae eo genere imbuitur, aeque compoſito, ac cibi ſolent arte coquinaria componi; Accedit vita ſedentaria, plerumque accuſata, quae excluſis circulationis venoſae ſubſidiis, quae ab actione muſculorum pendent (*b*), ſanguinem in minoribus vaſis congerit; naturales, quae a motu ſunt, dotes pervertit; atque inertiori demum ſyſtematis VP. ſinu adcumulat, vires chylopoieſeos, porrecto ubique infarctu, adcumulata cruditate, enervat: qua eadem ratione ipſos etiam opifices, mulieres, hypochondriaſis obnoxios reddi, BILGUERUS teſtatur (*c*). Potuum calidorum abuſus huc ſpectat, quo infantum non tam teneritudinem caloris perpetuo quaſi incubantis opera fovere, quam omnes fere in adultis aut ventriculi, aut

(*a*) FRACASSINI l. c. p. 306.
(*b*) HALLER *elem.* T. II. p. 326.
(*c*) BILGUER l. c. p. 131. 132.

aliarum partium morboſas adfectiones, atque frigoris potiſſimum in ventriculo ſenſum ſolari, atque calefacere in meliorem digeſtionem contendunt: ſed certe, uti frigus illud a laxitate eſt; ita eo medelae genere eo increſcit magis; quo certius conſtat, aquam calidam omni phoenomeno inter emollientiſſima remedia pertinere; quo effectu per totum demum corpus porrecto, fluor albus, cachecticus pallor, leucophlegmatica mollities, coctionis turbatae vires, ventriculi inteſtinorumque languor, flatuum obmurmurantium perpetuae moleſtiae, phlogoſes hypochondriacae naſcuntur: Coffeae abuſus forte maiores noxas habet, dum acrimoniam ab oleo empyrevmatico, demum eliquato per ignem reſinoſo principio, genito, ſubtiliſſimam penetrantiſſimamque iungit, quae vaſis minimis ipſiſque nervis ſtimulos adplicat, vix eluendos; quos manuum tremor, ſingularis diffuſa per corpus irritabilitas, phlogoſes crebrae, ſanguinis, ut vocant, ebullitio, aliaque & animi anxii phoenomena ſat docent.

§. IX.

Quanquam has cauſſas inter remotiores pertinere, haud difficulter adpareat; unde ſolidarum partium maior ſenſim mollities, teneritudo,

debilitaſque ingeneratur; potiſſimae nihilominus ſunt, quae genus nervoſum proximiore feriunt iniuria; abſque qua varii quidem morbi, viſcerumque abdominalium laeſiones, vix veri illi, qui ad hypochondriaſin pertinent, ſpaſmodici adfectus gignuntur. Huc in primis acre illud refero, adeo nervis familiare, arthriticum podagricumque; quod depoſitum, ſedem in nervis figit amatque (a), ita vitali adhuc liquidorum orbita circumvolutum, nervos miris toties phoenomenis laceſſit, eorumque officia turbat, adfectus nervoſos ventriculi, coctionis turbas parit (b): Inde hypochondriaſis, erumpente podagra,

(a) CASTELLI *exp.* §. 64. 65. 66. TRALLES *de op.* p. 320. 322. HALLER *apolog. contr.* HAEN p. 20. HEUERMANN *chir.* T. I. p. 49.

(*) A ſolo ACRI ARTHRITICO, in nervos abdominis agente, neque ad externas corporis partes, ad articulationes, adhuc depoſito, hypochondriacum malum, ut a cauſſa proxima, derivat ill. *Weikardus. Vermiſchte Mediciniſche Schriften* I. St. S. 175. 6. — In quampiurimis ſaltem eiuſmodi aegrotis, arthritici mali vel veſtigia inveni, vel, poſt certum aliquod tempus, artuum dolor accedens coetera mala ſolviſſe videbatur, donec ceſſante illo, haec denuo recruduerunt. Vix tamen ſimplicem adeo mali, tot diverſis hominibus communis, cauſſam ſemper eſſe, affirmaverim.

(b) WHYTT p. 121.

mitefcit (§. IV. n. II.) ; quam metaſtaticam PLATNERUS (*a*) conſiderat . Aliae ac potiſſimae ipſius mentis adfectiones ſunt, quae in nervos primario , nervorumque origines agunt : Quatenus quotidianis lucubrationibus atque intenſiore mentis adplicatione in artium ac ſcientiarum ſtudio , vel quocunque alio munere vitam exigunt , continuo animi labore terendam : ſed medullares fibras , encephalique compagem his mentis actionibus mutari patique , determinationem ſanguinis huc augeri , incaleſcentis a ſtudio capitis phoenomenon , tenſionis ſenſus , gravitas percepta , defatigatio aliaeque moleſtiae , vim nervis illatam docent ; quaecunque ſit pro varia , quam fingis , hypotheſi , ſeu nimiam fibrarum cerebri dilatationem , a maiori liquidorum impulſu factam, quam maior debilitas mollitieſque excipit , impreſſionibus minus reſiſtens (*b*) ; ſeu tenſionem in fibris medullaribus (*c*) , aut arrectionem , partibus nervoſis communem , aut tremorem, oſcillationem , aut quae-

(*a*) PLATNER *art. med.* §. 463.
(*b*) HALLER *not. ad prael.* BOERH. §. 415. lit. p.
(*c*) FRACASSINI p. 297. 301.

cunque motus genera (*a*) concipias : adparet ſaltem, vim eam pro intenſione adplicatione ac diuturniore, ſummis demum gradibus intendi; inde fibrae nerveae debilitas, facillima oſcillandi vis celeritaſque, mobilitas ingens, flexilitas nimia inducta, mutata in variis partibus ſentiendi ratio, & quae his iungitur, idearum, menti obverſantium, conditio, ſumma vivacitas, ſed & aberratio facilis, atque aliena combinatio conſequitur: Debilitatem nervoſam varioſque inde pendentes morbos, vires digeſtionis proſtratas (*b*), praematurum ſenilem maraſmum inde repetit LUDWIG (*c*); qui effectus eo promptiores nocentioreſque ſunt; quo vehementior cogitationum in eandem rem intentio eſt, non interrupta; qua pars una ſenſorii communis violentiam patitur haud minorem, quam muſculi ſingulares fortiter diuque contracti; ſtamina eius tam pertinaciter arrigi, credit GAUBIUS (*d*), ut remitti dein nequeant, aut oſcillandi finem non faciant, acrius commota, aut nimium diſtracta, tenorem denique amittant.

(*a*) Senſus internos motu fibrarum exerceri, probabile eſt. ZIMMERMANN l. c. P. II. p. 502.
(*b*) ZIMMERMANN l. c. p. 505.
(*c*) LUDWIG *de ſtudiorum contentione* §. II. VIII.
(*d*) GAUBIUS *pathol.* §. 529.

Iidem huc pertinent, qui a teneris ſeverioris diſciplinae ac religionis praeceptis imbuti, abſque rectiore boni malique iudicio, omnia tuta timent, perpetuis animum ſcrupulis flagellant, hominum conſortia fugiunt, atque nonniſi propriae imaginationis ideis, ac ſuarum vigore imaginum paſcuntur, quem nec doctioris demum Theologi conſilia deleant. Similis aliorum animi adfectuum haec poteſtas eſt, praecipue quae triſtitiam, moerorem diuturnum, metum ac diuturnas edaces curas ſpectant; quorum adfectuum, primarii in genere nervoſo effectus iuculenta debilitatis nervoſae phoenomena produnt; queis tum fracto motu cordis, ut neceſſe ſit, ſuſpiriis tranſitum per pulmones expedire, tum vaſorum nervorumque languore adpetitus hebeſcit, perſpiratio imminuitur (*a*); menſes ſupprimuntur, vel naſci impediuntur (*b*), pallor inducitur, aliaque languentis circulationis, deiectaeque vis nervoſae phoenomena increbeſcunt; queis tum contagium facilius ſuſcipitur (*c*); tum febres malignas

(*a*) SANCTORIUS *ſect. VII. aph.* 15. SWIETEN T. II. p. 38.
(*b*) Hiſt. morb. Vratisl. p. 313.
(*c*) DEGNER *de Dyſent.* p. 80. ZIMMERMANN l. c. p. 851.

nervoſas (*a*), maxime inde bellorum tempeſtate (*b*), atque in obſeſſis urbibus (*c*), frequentes generant; terrorque ac metus variolas peiores, lethales (*d*), ipſaſque operationes chirurgicas infelices reddere (*e*), febrem incurabilem lethalemque accerſiſſe viſus eſt (*f*). Imo tanta moeroris vis obſervata eſt, ut ſubita quadam cordis paralyſi, mortem ſubitam induxerit, cuius exempla collecta referunt cel. Viri (*g*): quales certe nervorum circulationiſque iniuriae dum loca feriunt, praecipua nervorum vi gaudentia; primos in turbando ventriculo ſenſus (*h*), atque langueſcente ſanguinis circuitu, praecipuas in vaſorum abd. ſyſtemate moras hypochondriacas inferunt. Terroris iidem, ſed magis ſubiti effectus ſunt; queis novi virum, ſummo, a ſubita amici morte percepta, terrore perculſum, ac praecipuis inde ſupra dictis ſymptomatibus (§. II.

(*a*) HUXHAM *de aëre & morb.* p. 166.
(*b*) ROEDERER *de morb. mucoſo* p. 22. 30.
(*c*) BAGLIVIUS *prax.* p. 150.
(*d*) HUXHAM P. II. p. 132.
(*e*) *Recueil periodique* T. II. P. II. Art. I.
(*f*) *Mediciniſche Anecdoten* P. I. p. 25.
(*g*) KAAW *de impetum faciente Hipp.* p. 431. GAUBIUS *ſerm. acad. II.* p. 26. ZIMMERMANN P. II. p. 474.
(*h*) HALLER *Elem.* T. VI. p. 158.

n. 2. 4. 6.) diu conflictatum. Amoris hic locus fere princeps eſt, ſeu deſiderii rei concupitae longius protracti; ſanguinem incitari, accelerari pulſus (*a*), ſaepe cum inaequalitate, quem admixto metui tribuas, refert HALLERUS (*b*); Vehementior amor ſummum calorem, palpitationem, ruborem, robur, pene cum tremore, & ſenſum quaſi ignis, per vaſa ipſorum artuum fluentis facit: bene CLAUDIANUS (*c*):

Hic habitat nullo conſtricta licentia nodo,
Et flecti faciles irae, vinoque madentes
Excubiae, lachrymae rudes, & gratus amantum
Pallor, & in primis titubans audacia furtis
Iucundique metus, & non ſecura voluptas.

Sed quantae hic ſimul nervorum totiuſque vitalis atque animalis oeconomiae iniuriae comitantur! Mora vel adempta potiundi ſpes elegantulos toties adoleſcentes virgineſque lurido pallore induit, tabe (*d*), oculorum vigore fracto ac ſenili prope intra orbitas ſepultura, atra bile, chloroſi, erotomania conficit, crucemque medicis tacitos hos inter malorum fontes figit: Catalepſin

---

(*a*) Venam frontis ruptam adnotant *Mediciniſche Anecdoten* P. I. p. 199.
(*b*) HALLER l. c. T. V. p. 582.
(*c*) CLAUDIANUS *de nuptiis* HONORII.
(*d*) Sine hoſte victus marcet, & veneri vacat reparatque amores. Senec. *Trag. Agamemnon* p. 429.

inde inductam refert ZIMMERMANN (*a*); ſed & minoribus malorum gradibus variae generis nervoſi turbae ſunt; ut Veteres de ipſo Iove dixerint, eum ſimul amare & ſapere non poſſe: Recte ſervus ille apud HORATIUM (*b*):

O Here! quae res
Nec modum habet neque conſilium, ratione modoque
Tractari non vult: Amoris haec ſunt mala.

Ne odium parerent memoriae recentis exempla, plura ex antiquis Veterum monumentis recenſuit GAUBIUS (*c*); ſed recentia refert ZIMMERMANN (*d*). Licentioris vitae effectus aut matrimonii vel praematurius, vel ſeriore aetate, vel queiſcunque imbecillioris conſtitutionis hominibus initi, praecipuae hae noxae ſunt; queis toties inſecta maſcula imitantur, quae pleraque poſt Venerem intereunt (*e*). Nobiliſſimi humoris, qui cum ſecretione ſpirituum multa communia habet (*f*), iactura nimia uti in toto corpore vim nervoſam deiicit, nervorumque morbos am-

(*a*) ZIMMERMANN l. c. p. 489.
(*b*) HORATIUS *ſerm.* L. II. S. III.
(*c*) GAUBIUS *ſerm. acad. II.* p. 33.
(*d*) ZIMMERMANN l. c. p. 490.
(*e*) HALLER *Elem.* T. V. p. 576.
(*f*) TISSOT *de febr. bilioſ.* p. 188. 208. GORTER *de perſpirat.* p. 215. 219.

pliſſimo catalogo producit, ita debilitatis auctaeque irritabilitatis in ventriculo & inteſtinis ſymptomata procreat; ut inde morbi hypochondriaci potiſſimam noſtra aetate cauſſam cel. Viri repetant (*a*), noſtrique ſaeculi longaevitati obeſſe, imminuere civium numerum videatur (*b*); ac regionum depopulationem plus minus ſenſibilem exinde demonſtret BILGUER (*c*); quod nimirum in peſſimam illam mentis corporiſque virium profuſionem & propenſio, & contracta inde effaeminatio a progenie in progeniem deſcendat, de quo iam ſuo tempore HORATIUS lib. 3. Ode 6.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

§. X.

Verum quid demum viſcerum, in abdomine ſitorum, glandularumque obſtructiones, vaſorum

(*a*) FRACASSINI p. 306. ZIMMERMANN l. c. p. 392. WHYTT l. c. p. 84. BILGUER p. 56. BICKER *Goett. Anz.* an. 1768. p. 142.
(*b*) BALLEXERDE *phyſ. Kinder-Erziehung.* p. 24.
(*c*) BILGUER l. c. p. 80. 81. 82.
(*) Hoc variis argumentis ulterius deduxi; Vid. *Mediciniſche Polizey* I. Band.

atrabilarii infarctus ad hunc morbum producendum alendumque conferant, quaeſtio nobis diſcutienda. Atque latentibus hiſce vitiis licet antiquioris, & noſtri aevi complures pleramque morbi vim originemque adſcripſerint; ut in curando morbo etiamnum in has tollendas obſtructiones totis medendi viribus connitantur; neque negari poſſit, ipſis cadaverum ſectionibus toties palam eiuſmodi demonſtrari vitia (§. V.); ut ſub ſpaſmis hypochondriacis gravior ſaepe viſcerum labes ſubeſſe viſa fuerit, improviſo aliquando lethali, adnotante MORGAGNO (*a*); quorſum omnino Veterum de atra bile obſervationes doctrinaeque conferunt, quae late in turbandis encephali mentiſque functionibus, in commovendo nervorum ſyſtemate dominaretur; communique obſervatione conſtat, poſita in primis viis cauſſa putrida, toties emoveri mentem non tam, quam ſub ingenti vitae languore, ſpaſticos illos tremuloſque motus, in malignis putridiſque febribus per univerſos diffundi nervos.

Sed ſi rem paulo accuratius conſideremus, alia omnino morbi phoenomena ſunt, alius exitus, facies plane alia morbi eſt; qui hoc viſcerum infarctu vel atrabilario vel ſcirrhoſo funda-

(*a*) MORGAGNUS l. c. Ep. XLV. n. 27.

tur. Sub varia functionum laeſione chronica, lentis plerumque variorum morborum adfectionibus, nunc colicis doloribus, flatulentis etiam, adpetitus proſtratione chronica, moleſto preſſionis ſenſu in hypochondriis, & circa ventriculi regionem, nunc in icterum, nunc cachexiae alia genera faceſſit; nunc leucophlegmatico corpus humore inundat; vel in varia demum hydropis genera deſinit; nunc lentas inter miſerias tabe conficit, nun febrilibus etiam motibus illudit; queis, ut ſaepius novi, gangraenam abdominalem evolvunt; qua iiſdem fere, ac in malignis ſolent, phoenomenis moriuntur: ſed plerumque ſpaſmorum hypochondriacorum deſcripta facies abeſt; lienumque induratorum exempla ſunt, abſque ulla huius morbi ſuſpicione (*a*): niſi quidem eadem hypochondriaſis ſcaturigine, circulationis abdominalis vel a ſpaſmis, vel debilitate turbetur tenor; indeque adgeſto in vaſis

---

(*a*) LITTRE habet *in act. A. R. S. c.* an. 1700. Obſ. 7.

(*) Tam frequentem lienis obſtructionem, quamvis Medicinam & in LOTHARINGIA fecerim, & in terris LAADENSI, SPIRENSI atque HANNOVERANA, nunquam vidi, quantam in agro TICINENSI hucuſque obſervare mihi contigit; frequentiorem tamen, in his ſaltem aegris, Hypochondriaſin non obſervare potui.

liquido ; viſcerum infarctus , ſanguinis a ſtaſi mutationes atrabilariae , adeoque effectu morbi inducantur (*a*) ; unde infarctorum viſcerum , aut atrae bilis cum vera hypochondriaſi confunduntur ac complicantur ſymptomata : Atrae bilis certe plerumque accuſatae , quam e Veterum tenebris revocavit BOERHAVE , nulla alia ratio eſt , quam ſanguinis diuturna ſtaſi corrupti colliquatique , quam aliquando cadavera oſtendunt (§. V.) vel eius inter turbatas motuum leges , e vaſis in ventriculi inteſtinorumque cavo patentibus , ſenſim extorti , atque inter eorum numeroſas plicas detenti , varieque corrupti (*b*) ; quo per vomitum quidem ; aut alvi deiectiones nigras , quas atrabilarias vocant , eliminato , morbi levamen ſit (§. IV. n. VI.) , haud vera curatio ; dum manens ab obſtaculis ac debilitate ſentina facile priſtina ſanguinis corruptela ac colluvie exundat : Inde eſt , quod toties nullas viſcerum mutationes , niſi ſolam aliquando debilitatem flacciditatemque cadavera exhibeant (§. V.) ; id quod SYLVII obſervationibus (*c*) confirmatur , qui ſe ultra centum hypo-

---

(*a*) Varias viſcerum mutationes ad effectus morbi hypoch. reducit . WHYTT p. 168.
(*b*) Eandem rationem refert WHYTT p. 183.
(*c*) Adducit QUELMALZ *de liene* §. 26.

chondriacos partim, partim melancholicos, liene ſalvo & incolumi praeditos, diſſecuiſſe adfirmat; docent ii praecipue, qui ſummis mentis turbatae erroribus, melancholiae propriis violentas vitae propriae manus inferunt, cadaveraque relinquunt, quae omni labe vacua, atraeque neſcia bilis, ſolos nervorum ſpirituumque errores recondunt, quos fruſtra acie anatomica quaeſiveris: Inde eſt, quod ſolis animi vitiis morbus producatur ac foveatur, atque voluptatis flagellum, ſaepe & calcar exiſtat; quod quo plus inſtiget, eo magis noceat (§. II. n. 8.): Inde eſt, quod ſola aetate toties, quae teneriores nervos indurat, aut mutato vitae genere, quo facillimae in nervis oſcillationis ſtimulus hebeſcit, abſque relictis in corpore noxis, vel ceſſet omnino, vel ſopiatur (§. IV. n. I.), donec nova prurientis ideae occaſione, in priora vitia (§. IX.) animus redierit: Inde eſt, quod phthiſin ſaepe nervoſam (§. IV. n. IV.) continuato malo, relinquat; quae potiſſimum ſolidarum partium ſumma fracedine, liquidorum exhauſtorum aut penuria, aut peſſima craſi, a ſpirituum proborum indole alieniſſima, conſiſtit. Eadem haemorrhoidum ratio videtur, in qua toties praecipuam atque immediatam morbi hypochondriaci cauſſam referunt (§. II. n. 6.): Quae certe, uti vaſorum abd. debilitate, aut circula-

tionis venoſae obſtaculis generantur; quae plethoram abdominalem, cum vario vaſorum, quoquoverſum porrectorum, onere ac ſymptomate, accumulat: ita facillimo quidem huius nevropathiae effectu fiunt; dum cum debilitate nervoſa neceſſario illa circulationis impedimenta coniunguntur (*a*): Verum dum ſimilibus adeo, quae debilitatem inferunt, cauſſis naſcuntur (*b*) haemorrhoides; aut eodem ſaltem fonte, niſi iuncta maiore nervorum iniuria, nevropathia ſcaturiet; aut inter cauſſas huius remotiores pertinent; uti plures dantur haemorrhoidibus, abſque hypochondriaſi, obnoxii; dum inter huius quidem

---

(*a*) Nullum iuvenem quidem haemorrhoidarium vidit *Ludwig*, niſi languidum, & variis affectibus ſpaſticis obnoxium, *de haemorrhagiis ut cauſſa debilitatis* p. 10.

(*) Hoc quidem meae experientiae non ſemper reſpondit, & ego ipſe exemplo eſſe poſſum contrario: ut qui anno aetatis DECIMO SEXTO, fortis, vegetuſque, nec certe ulli ſpaſmo ſubiectus iuvenis, copioſam evacuationem Haemorrhoidalem, primam &, in hos uſque dies, ultimam, paſſus fui. Similia & in aliis plethoricis, licet ſaniſſimis iuvenibus, obſervavi; neque alia mihi in illis Haemorrhoidum, quam narium Haemorragiae, huic aetati communiſſimae, ratio fuiſſe videtur.

(*b*) Nunquam bona ſolida, ſed morboſas affectiones ab haemorrhoidibus vidit TRALLES *hiſt. Cholerae* p. 27.

ſymptomata frequentiſſimae eſſe ſolent haemorrhoides. Verum & ſimul adparet, ab earum fluxu etiam aut parum fiduciae ſolatiique, licet expectarint plurimum, aut nihil plane conſequi: Novi aliquos, qui quo ferociore turbarum nervoſarum paroxyſmo impetuntur, haemorrhoidum copioſiore ac quotidiano fluxu, media inter ſolatia medicorumque exſpectationes, laborant; qui haemorrhoides nunquam copioſiores, quam inſtantibus hiſce turbis, ſentiunt perinde, ac alios urinae aqueae copioſaeque ſtimulus admonet: Enimvero qui arterioſis finibus dilatatis funditur ſanguis, quod quidem tum a venoſi ſyſtematis immeabilitate ac reſiſtentia, tum retro urgente arteriarum nixu, frequentiſſimum eſſe ſolet, ſanguiniſque fuſi florida indole ac tenuitate cognoſcitur; commodi nil certe, niſi ab imminuta aliquantum in continuo vaſorum ſyſtemate preſſione, ſaepe plurimum damni adfert, continuatis ſanguinis arterioſi diſpendiis, maxime corporis robori nervorumque vigori inimicis (*a*): e venis, quae atrabilariam piceamque ſa-

(*a*) *Conf.* de HAEN *de haemorrh.* p. 35. LAMBSMA *de fl. ventr.* pag. 124. *Fraenck. Anmerk.* Vol. VII. p. 499.

burram educunt, rarius funditur; licet aliquando inter perverſas motuum leges, contrariaque circulationis itinera, vigente ſpaſmorum vi poſſit (*), levamen utique maximum malo adferet, ſed manentibus cauſſis, in infarctu vel vaſorum atonia poſitis, propediem redituro: licet & toties haec ſanguinis atrabilaria conditio, quam concipiunt, plane abſit, atque cum ſequente nervorum malacia, cum diſparente haemorrhoi-

(*) Saepiſſime venas eſſe, quae ſanguinem haemorrhoidalem fundant, *condylomatum ani* natura docet & origo. Haec enim veros Haemorrhoidalium venarum dilatatos ſiſtere ramos, qui, niſi mature rupti, ſanguinem collectum atque retardatum regurgitent, in varices praegrandeſque ſaccos excreſcunt, dubium eſſe non poteſt. In multis vero hae venae (quod in praxi magni momenti eſſe credo) non tam ob ſanguinis, per abdominalem morbum, circulationem impeditam; quam a ſolius tunicae inteſtinalis intimae laxitate & venarum ano vicinarum atonia ſpeciali, a multis cauſſis facile explicabili, intumeſcunt. Hinc ſola ſaepe ſaccorum eiuſmodi tunicaeque ano propendentis & infiltratae, vel calloſae, exſtirpatio, inteſtinalem hunc morbum, recte monente ill. THEDENIO (Neve Bemerkungen und Erfahrungen, I. Theil S. 56. 59.) & ſecundum meam quoque in his experientiam, radicitus tollit: qui, ſi ab alia, *non locali*, cauſſa dependiſſet, alia nunc ſaltem & maiora forte ſymptomata produceret.

de, circulatio naturali ordini viiſque nunc liberatis, abſque relictis aliis noxis, reſtituatur.

§. XI.

Verum & ſuis Therapia difficultatibus laborat; dum eo tollendarum, quas vulgo concipiunt, obſtructionum ſtudio, omni remediorum aperientium, ſolventium conatu, omni genere conquiſito intenſoque, ſuccurrere adlaborat. Eoque ſcopo ſalium diverſo genere, ſapone tum artificiali, tum naturali, gummi ferulaceis, ſuccis herbarum recentium expreſſis, interpoſitis crebris catharticis, aquis mineralibus, animoſe epotis, imo & balneis, toties pugnat; eoque medelae genere, dum vel peius inde habent, vel nihil ſaltem emendantur aegri, mutatis formulis, omnia harum claſſium remedia ſucceſſivo ac diutiſſimo uſu convocat. Verum luſtrato ſatis hypochondriaſis mirabili ingenio, elucet potius, omnium ſolventium, fundentium colliquantiumque inanem, imo nocivam operam eſſe: ſalium certe, quae praecipue acido vitriolico componuntur, uti 🜿 ⊕lat. arc. dup. &c. difficiliuſque ſolubilia ſunt (*a*), continuatus uſus ſtimulos

(*a*) SPIELMANN *elem. chem.* p. 49. 124.

plus minus rigidos infert ; queis perpetua irritatione & aquoſa colluvie fibra debilitatur magis (*a*) ; atque in ſanguinis etiam maſſam eluctatis, varii in eodem ſolvendo effectus prodeunt, qui a ſalibus quidem lixivis promptiores (*b*), neque a mediorum I. neutrorum genere abſunt (*c*) ; ut ſuſpecta merito ob vaſorum ſtimulum, & acre, humoribus inductum habeat cl. MALOUIN (*d*), cautelaſque inde ab humorum diſſolutione repetat POHLIUS (*e*). Siqua vero, uti facile fit, a turbata coctionis opera, atque facili ingeſtorum fermentatione pleniore, copioſos ubique flatus eructante, aut ipſa vaſorum, in inteſtinis exhalantium, debilitate (*f*), cruditas pituitoſa copioſior ſubſit, quae glanduloſos partium vicinarum glomeres facile infarcit; teneriorum ſalium facileque ſolubilium uſus ſat probus eſſe poteſt, dum roborantibus iungitur, uti 🜿 ſolub. laudatur a WHYTTIO (*g*) it. BALDINGER

(*a*) LUDWIG *inſt. cl.* §. 817. PLATTNER *art. med.* p. 105.
(*b*) SCHWENCKE *haemat.* p. 190.
(*c*) GERHARD *MM.* p. 166.
(*d*) MALOUIN *med. chym.* p. 255.
(*e*) POHL *de excretionum moderamine* §. X.
(*f*) WHYTT l. c. p. 146.
(*g*) WHYTT p. 393. form. probam componit. KLEIN *ſelect. med.* p. 191. ex pulv. flav. cort. aur. rh. 🜿r. ſol. addito elaeoſacch. cajeput.

(*a*); quique a ſolubilitate fere reliquis praefertur (*b*); licet & eas aliquando noxas adnotet cl. WHYTT, queis flatus augeat, ac deliquia accerſat: Eaedem certe tum ſaponis veneti aut alicantini, tum ſaponum nativorum ſunt cautelae; quorum virtute maxime gummata ferulacea, ſuccique plantarum nativi ſcatent; ſed uti in fundendis diſſolvendiſque coagulis, ita in naturali etiam ſanguinis denſitate deſtruenda vi pollent; atque ea, quam praedicant, abſtergendi & nudandi virtute, abraſo naturali mucoſo tegmine, fibram attenuant, irritabiliorem ſenſibilioremque reddunt, & exorbitantes iamiam irritabilitatis auctae ſtimulos neceſſario exaſperant; id quod copioſa obſervatione conſtat, nulloſque non convincit, niſi eos, qui ſinceritatem HIPPOCRATIS, SYDENHAMI averſantur, errores ſuos, ut doceant, palam profitentium. Diaetae vegetabilis fructuumque horaeorum noxas ex iiſdem rationibus & cel. virorum obſervatis ſupra iam adduxi §. VIII. Sed & ex his ſimul pares fere aquarum mineralium cautelas intelligimus, quas teneriori praecipue ſexui prin-

(*a*) BALDINGER *Kranckh. der Preuſiſch. Armée* p. 131.
(*b*) CARTHEUSER *elem. chem.* p. 200.

cipio ſcatentes, noſtris in oris Schwalbacenſes commendant, atque ut efficaciores reddant, ſingulo primo hauſtui ⊖ ſedlic. doſin adiiciunt: ſed ea certe, qua ſolent, aquarum ingurgitatione, ac ingenti velut cataclyſmo, tantum abeſt, ut vel infarctus demoliantur, vel acre eluant, vel robur fibris debilibus addant, ut potius obruant, ac quaſi ſuffocent vires ſuperſtites; quae validae ſatis requiruntur, ut eae excernantur copiae, quae intra corpus adſumptae, ſolis vitalibus viribus reguntur, ut ſuis excerni poſſint colatoriis (*a*): maior omnino tum a copia liquidi diſtendente, tum ab aqua relaxante, quam paucis dilutiſſimi & enervatiſſimi martis viribus, eſt effectus: quo debiliora certe & irritabiliora hypochondriaci vaſa laeduntur (*b*), adiecto praeſertim ſalium uſu, alvoque quotidie ſtimulata, iunctis adeoque noxarum utrarumque viribus (*c*):

(*a*) *Confer.* FRACASSINI p. 338.

(*b*) Debilioribus cavendas vult BOERHAVE *de morb. nerv.* p. 153. aquas minerales iis nocivas, quibus laxior corporis habitus, & atonia ventriculi & inteſtinorum, pluribus momentis probat TRILLERUS *de ſpecificorum remediorum fide dubia* §. XI. nocivas iis, qui imbecillitate laborant *Fr.* HOFFMANN *med. conſ.* P. I. p. 91. it. in debilitate ventriculi, viſcerumque abd. l. c. p. 193.

(*c*) Crebra purgantia ad hunc morbum diſponere. Conf. F. HOFFMANN. l. c. p. 292.

ſalubribus mehercle effectibus ; quos ſpondent ; contradicit experientia ; neque ulla , niſi calidis matutinis potibus nunc ſubſtituto frigido , atque animo ad res , magis placentes , converſo , corporiſque ex lege & compotantium conſuetudine , facta maiori exercitationi ſalubritas eſſe poteſt ; ſiquidem dictis aquarum noxis ſuperandis par eſt a Thermarum ac balneorum calidorum rarior quidem uſus ac ſolet eſſe commendatio ; niſi qui viſcerum ſuorum obſtacula fibrarumque ſtricturas externa potius emollitione ſolari , quam curare velint ; dum cum ea interim partium ſolidarum debilitas increſcit , auctaque externa preſſione , accedente a calore rarefactione motuque accelerato , impetus in viſcera debiliora , cum vaſorum toties laeſione rapitur , frequenti haemoptoes aut haemorrhagiae cuiuſcunque aut apoplexiae eventu . Balnea frigida , adparet , niſi hypochondriaca reſpueret mollities , maiore nervis vaſiſque robore reddito, omnino utiliora eſſe (*a*). Venaeſectionis porro , ad quam fere prae reliquis frequentius inter ſuos , quos animo agitant metus , confugiunt hypohcondriaci , regulas ex his haud difficulter ſtatuimus : Sed eam certe , quod cum

(*a*) Ea commendat , cautelaſque addit WHYTT p. 263.

mole imminuta, & ipſa ſpecifica denſitas ſanguinis decreſcat, auctaque ſeri ad globulos rubros proportione (*a*), inde laxitas debilitaſque cum neceſſario irritabilitatis & ataxiae augmento (*b*) inducatur, nocivam plerumque cum cel. Viris (*c*) adgnoſcimus; ipſique, ſi recte adtenderint, facile conſentient aegri; qui faciliore fere animi deliquio inde obnoxii, ventriculi turbatas functiones, adpetitum proſtratum (*d*), alias debilitatis auctae, ac ferocientium ſpaſmorum effectus (*e*) ſentiunt, vel eos, etſi mitigati viſi fuerint, paulo poſt maiori violentia redituros. Nos ea in medendi methodo melius certe a diaeta, quam in medicamentis conſilium petendum, cum cl. LIEUTAUD (*f*), ipſoque FR. HOFFMANNO (*g*) aliiſque iudicamus, ner-

---

(*a*) HALLER *elem.* T. II. p. 330.

(*b*) TISSOT *de febr. bil.* p. 123 126. 136. it. nov. act. N. C. T. I. pag. 81.

(*c*) FRACASSINI l. c. pag. 346. LIEUTAUD l. c. pag. 92. PLATTNER *art. med.* §. 467. BILGUER p. 923. nov. act. N. C. l. c.

(*d*) TISSOT l. c. p. 123. CARTHEUSER *diaet.* p. 26. UNZER *arzt.* P. X. p. 156.

(*e*) In morbis ſpaſmodicis per VS. ſpaſmos intendi obſervat FR. HOFFMANN *med. rat. ſyſt.* T. I. p. 302.

(*f*) LIEUTAUD l. c. p. 93.

(*g*) FR. HOFFMANN l. c. p. 415.

vorumque turbas ac ipſos ſenſim iuventutis errores religioſa animi tranquillitas compeſcet facilius quam importunum medendi ſtudium, quod plerumque etiam hos inter metus fluctuans animi inquietudo turbat: Id agimus nimirum, ut animo ad placida obiecta, eaque ſaepe variata converſo (*a*), evitatis cauſſis omnibus, unde illa in nervis debilitas augeatur foveaturque, corpus vario ſenſim exercitationis genere roboretur (*b*), atque a ſua victus aërique mollitie conſueta revocetur; corticis interim peruviani uſu, cuius tantae in eo genere laudes ſunt (*c*), nervoſum genus, fibras ſolidas roboremus, ſanguinis vitioſam tenuitatem corrigamus; utraque ratione tum coctionis inſtauretur opera, liquidorumque vitia, aucta vitali vi, ſenſim diſpareant; addimus pro re nata, vel interponimus lenes rhabarbari doſes, quod roborando non tam inteſtinales fibras,

---

(*a*) Animi recreationem optimam ſtatuit FRACASSINI atque praeſertim per concentus muſicos p. 348.

(*b*) Equitationis ſummos uſus obſervat SYDENHAM p. 522. ſolam hanc efficacem vid. in Hamb. Magaz. Vol. XI. p. 345.

(*c*) SYDENHAM p. 519. LOESECKE *MM.* p. 441. FRACASSINI p. 328. TORTI *Therap. febr.* p. 429. HEUERMANN *Bemerck.* P. I. p. 145. WHYTT infuſum vinoſum aut ſpirituoſum laudat & exemplis probat p. 254.

quam latentem ſaburram irritantem evacuando ; eoſdem in effectus conſpirat : Martialium quoque hic ſummum uſum commendant, ipſaque in ſubſtantia (*a*) ; niſi ventriculus nimis adhuc irritabilis reſpuerit ; Tinct. 🜔l.. ♂t. 🜿riſata Ludov. ſimileſque teneriore ♂tis 🜔lo conſtantes (*b*), vario encomio, virorumque cel. conſenſu celebrantur : adduntur extracta amara (*c*) ; quorum tum in maiore fibrarum robore, tum facillima illa, quae in ventriculo debili eſt, ingeſtorum fermentatione prohibita aut moderata, experimentis PRINGLII conſtat (*d*) : dum ſpaſmorum interim ingruentium ferociam caſtoreatis, vel aſſa foetida, vel moſchi etiam doſi addita, vel leni cautoque opiato (*e*) compeſcimus : qua medendi ratione diu continuata, & malo demum & noſtrae tractationi imponimus

FINEM.

(*a*) WHYTT p. 259.
(*b*) Hiſt. morb. Vratisl. p. 24. pharmacop. pauper. Edinburg. p. 60.
(*c*) WHYTT p. 253. 288.
(*d*) PRINGLE p. 412.
(*e*) Crebrior uſus nocivus Fr. HOFFMANN T. II. p. 277. effectus noxios, debilitatem, atoniam refert WHYTT p. 271. licet ſaepe neceſſarium & utile ſit.

QUAESTIO

Medico-Legalis, *an* SECTIO ANATOMICA *in Cadaveribus de* AUTOCHIRIA *suſpectis?* *praeside* FRANCISCO SCHOENMEZEL, *authore* IO. MICH. WINTER. *Heidelbergae* 1766. (*).

AEquiſſima, nec ſat laudanda temporum noſtrorum conditione invaluit, ut, cum gravia in tribunalibus etiam altioribus dubia obveniant, integrarum facultatum, prudentumque clariſſimo-

(*) Digna haec fuit, quae proponeretur quaeſtio: cum ea, quae a legibus reſpectu SUICIDARUM imperantur, magna ex parte a medicorum PHYSICORUM depoſitionibus, vel ſic dictis VISIS ET REPERTIS, dependere ſoleant, & multorum memoriae familiaeque, per id, macula iniuſta ſit, quod certis in cadaveribus Suicidarum inventis ſignis, plus aequo tribuerint Medici forenſes. Statuunt autem leges AUTHOCHIRIS malitioſis SEPULTURAM ſic dictam ASININAM, ſeu infamem: cum HONESTAM illis concedant, qui, ob morbum, vitae adfecti taedio, violentam huic ipſimet impoſuerunt finem (Nemeſ. Carolin. tit. CXXXV.). Monſtrat vero data hic ad quaeſtionem propoſitam reſponſio: ſigna Medica SUI-

rum, aut probatorum conſilia; & reſponſa petantur. Hincque fit, ut, cum talia ſaepius moveantur, quorum diſquiſitio, & diiudicatio perfectam fabricae humanae, & medicae notionem ſcientiae requirant, Medici quoque in conſilium vocentur; quibus fere in dies ſectiones cadaverum demandantur, ut, ſi quae de perpetrato crimine obſcuriora lateant, ſcrutinio diligenti anatomico perluſtrando patefaciant. Verum, cum de inſtituenda ſectione agitur, illam tunc tantum locum habere clarum eſt, cum, quae ad dubium, aut latens crimen evincendum conferant, in defuncti cadavere reperiri poſſe probabile ſit.

Huc igitur tota diſſertationis noſtrae quaeſtio tendit, an in autochiria ſuſpectorum cadaveribus quaedam reperiantur, quibus miſeros praemeditato conſilio, aut coacto furentis animi impetu violentas ſibi inieciſſe manus certo evincatur.

Fundata profecto in illos autochiriae ſuſpicio cadit; qui ſine apparenter praegreſſo delirium inducente corporis morbo propria nece concidunt, cumque autem quam repente melancholia, cuius ſaevus in propria affectorum viſcera furor

---

CIDII CULPOSI in cadaveribus vix certa ſubeſſe, hinc longe alia requiri, quam quae, a Medicis forenſibus hucuſque allata, fecerunt ſaepe, ut, cum reum abſolverent, innocentem leges proſequerentur.

nemini non eſt notiſſimus, quandoque quoſdam invadat, multiplici probatiſſimorum virorum obſervatione conſtet, vixque â ſanae rationis homine, non dicam chriſtiano, tantum cuilibet propriae conſervationis ſtudium innatum eſt, voluntarie in ſuae vitae perniciem quid contuliſſe imaginari poteſt, merito autochiriae crimen, ne immeritam inſons poenam luat, iudices in tali caſu eo uſque dubium habeant, â probatis donec Medicis, an defunctus melancholicus non fuerit, ſint edocti.

An autem legalis ad id Medico inſtituenda ſectio, anque talem praecipere iudici ſit conſultum, cum ſuccinctam melancholiae diſquiſitionem praemiſerimus, clarius apparebit. Primum igitur de morbi illius ſede indaganda, poſtmodum de cauſſa proxima, atque remotioribus proſequendis laborabimus.

Ut autem morbi ſedem determinare valeamus, illius praeprimis effectus ſunt explorandi: atque inter miros melancholiae effectus, qui animam afficiunt, primam ſane attentionem merentur; perpetui enim illi comites morbi huius ab omni alio differentiam conſtituunt.

Primum, quos malum invadit, maeſti fiunt, & triſtes, anguntur (*a*), grata, & laeta, imo

(*a*) SWIETEN T. 3. p. 480. LAZAR. RIVIER.

amicos fugiunt (*a*), loca ſolitaria quaerunt (*b*), ſoliloquium amant (*c*), uni eidemque cogitationi pertinaciſſime inhaerentes circa illam vere delirant, in caeteris licet ſanae mentis, quin acutiſſimi quandoque ingenii (*d*), vitae finem optant (*e*), de vita aeterna quandoque dubitant (*f*), triſtiſſima ſibi ominantur, timore, ira, zelotipia, & quibuſcumque fortioribus animi pathematis vel ex leviſſima, vel etiam nulla data cauſſa vexantur (*g*), de vita ſibi aufferenda cogitant (*h*), ſibi violentas applicant manus (*i*). Malo autem ad ſummum gradum evecto dementia, mania, convulſionibus corripiuntur, vigilias,

---

pag. 187. FERNEL. in Pathol. L. 5. c. 2. pag. 403.

(*a*) EBERHARD. Pathol. p. 464. FERNEL. p. 403. ALBERTI iur. prud. med. T. 5. p. 501. SYDENHAM oper. med. T. I. p. 260.

(*b*) EBERHARD quo ſupra. ALBERTI q. ſ. FERNEL q. ſ.

(*c*) TEICHMAYER inſt. med. Forenſ. p. 136.

(*d*) SWIETEN T. 3. p. 459. ETMüLL. T. 2. p. 946.

(*e*) EBERHARD q. ſ. BüCHNER Miſcel. phyſ. med. T. I. p. 147.

(*f*) TEICHMAYER q. ſ. SENNERT. T. III. pag. 90.

(*g*) SYDENHAM q. ſ. SENNERT. q. ſ.

(*h*) EBERHARD q. ſ.

(*i*) TEICHMAYER q. ſ.

inediam, frigus mire tolerant (*a*), aliis ut noceant, ſtudent (*b*), mortem intendunt, imo, quos aggredi poſſunt, occidunt (*c*). Quae vero iuxta BOERHAVIUM (*d*), alioſque in corpore contingunt, color externus, internuſque pallidior, flavior, magis fuſcus, liveſcens, niger cum maculis ſimilibus, reſpiratio lenta, ſe-& excretiones minores, tardiores, craſſiores, minor conſumptio, parcior appetitus, macies, pulſus lentior, circulatio per vaſa ſanguinea bona, ſunt. Reliqua viſcerum, aut functionum manifeſtior laeſio, quae ab authoribus melancholiae adſcribitur, affectioni potius hypochondriacae, quae aliquoties ut cauſſa remotior agere poteſt, tribuimus.

Quod, ſi nunc ea, quae ex authoribus retulimus, attente perpendantur, ad laeſum fere omnia ſenſum internum referenda videntur; quae enim ſine manifeſta cauſſa maeſtitia, triſtitia, anxietas, amicorum fuga, ſolitudinis amor, ira, timor, vitae faſtidium, pertinax ad eandam ideam applicatio &c. obſervantur, quid

(*a*) BOERHAV. de cogn. & cur. morb. aphoriſ. 1199. SYDENH. q. ſ. ALBERTI q. ſ.
(*b*) EBERHARD. q. ſ. LAZAR. RIVIER. q. ſ.
(*c*) ALBERT. Iur. Prud. med. T. 5. p. 394.
(*d*) Aphoriſ. 1094.

aliud, quam deceptam denotant animam, ſeu ſenſum internum male affectum, atque hinc in facie, circuloque humorum apparentia pendent, cui enim faciei, & circulationis cum animi motibus ſympathia eſt ignota, quae pudor, triſtitia, ira, metus, gaudium &c. faciebus imprimant, curioſioribus motuum animi ſcrutatoribus non latent, pulſuſque mutationes iam pridem Medici obſervarunt. Eſt autem ſenſus interni organon ſenſorium commune, illius igitur laeſio admittenda erit, atque huic opinioni authores ſubſcribunt probatiſſimi. *Si craſſi viſcidique humores*, inquit FRIDERICUS HOFFMANNUS (*a*) *vi ſpaſmorum ad ſuperiores partes, atque caput maiori copia compelluntur, deſtruuntur etiam animales functiones, langueſcunt ſenſationes, vis memoriae, ingeniique laeditur, inſignis eſt ad moerorem diffidentiamque proclivitas, vanae ſurgunt imagines, & inanes ideae, atque ſic lentis tandem paſſibus appropinquat melancholia. Malo*, ait SENNERTUS (*b*), *cum Araeteo melancholiam definire, quod ſit animi angor in una cogitatione defixus abſque febre, & furore â phantaſmate melancholico ortus, ubi tamen notandum, per*

(*a*) Med. rat. ſyſt. T. 4. part. 3. c. 6. p. 215.
(*b*) T. 3. L. 1. part. 2. p. 90.

angorem animi non cordis paſſionem intelligendam eſſe, cum melancholia phantaſiae, & facultatum principum laeſio ſit. Affici autem cerebrum, & quidem, ut pars ſimilaris, extra controverſiam eſt (*a*). *Cauſſa enim, â qua prima huius mali origo, eſt certa & occulta ſpirituum animalium diſpoſitio, quam immediate, & proxime ſequitur phantaſiae depravatio* (*b*). *Melancholiam eſſe mentis alienationem* affirmat FERNELIUS (*c*) *qua laborantes vel cogitant, vel loquuntur, vel efficiunt abſurda, longeque â ratione & conſilio abhorrentia, eaque omnia cum metu & maeſtitia;* LAZARUS RIVIERUS (*d*) *Melancholiam eſſe delirium ſine febre cum timore & maeſtitia* ſtatuit, illiuſque cauſſam proximam, & immediatam *eſſe ſpiritum tenebricoſum nigro colore infectum; Cum enim* inquit *ſpiritum animales natura ſua puri, tenues, & perſpicui eſſe deberent ad actiones cerebri alacriter exercendas, ſi ab ea conſtitutione deiiciantur, & opaci & tenebricoſi evadant, maeſtitiam & timorem inducunt.* Atque ſi BOERHAVIUM audiamus (*e*), melancholia

(*a*) Ibidem c. 8. p. 91.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Patholog. L. 5. c. 2. p. 403.
(*d*) Prax. med. L. 1. c. 14.
(*e*) De cogn. & cur. morb. aphoriſ. 1089.

iuxta illum vocatur Medicis *ille morbus, in quo aeger delirat diu, & pertinaciter ſine febre eidem fere cogitationi ſemper affixus*. In quem aphoriſmum commentans SWIETENIUS (*a*) addit, *eſſe delirium, cum idearum ortus non reſpondent cauſſis externis, ſed ab interna cerebri diſpoſitione mutata pendent nata praeter voluntatis imperium*. Hiſce profecto omnes hos authores, quorum, ne prolixiores videamur, maiorem adducere numerum ſuperſedemus, melancholiam in certa laeſione quadam cerebri, â quo ſenſus interni pendent, poſuiſſe, patere exiſtimamus. Eſt autem illa cerebri pars ſenſorium commune, in parte igitur quadam exiliſſima, tenerrima, quae hactenus omnem Anatomicorum aciem effugit, melancholiae ſedes eſt; quis enim indubie ſenſorium commune determinavit, non dicam, clare mirificam illius ſtructuram, conditionemque expoſuit. Melancholiam ergo pro male affecto ſine febre circa quaſdam ideas ſenſorio communi habemus, in quo vel certae rerum abſentium ideae tanquam praeſentes, vel aliter, quam naturaliter fieri deberet, animae repraeſentantur. Hinc pertinax illa ad eandem ideam applicatio pendere, hinc inordinata intelligi pathemata, hinc mirum

(*a*) T. 3. P. 459.

vitae faſtidium, atque propriae libido deſtructionis explicari poſſe videntur (*).

F 2

(*) Anguſtos nimis limites ponunt *Melancholiae*, Auctores tum alii multi, tum noſter quoque, cuius Diſſertationem non quidem ad ampliandam de hoc morbo doctrinam, ſed ob utilitatem quam in *foro* habere poteſt, hic inſerendam eſſe duxi. Interim ne quis miſer, qui proprias ſibi manus lethiferas intulit, ex *melancholicorum* numero, quibus mortis adeundae potiora ſunt privilegia, ideo excludatur, quod animi quandam *laetitiam* in vita prodidiſſe hinc inde viſus fuerit; monendum hic eſt cum ill. LORRYO: *moerorem* neque a ſummo BOERHAVIO, *Melancholiae* definitioni fuiſſe additum, neque addi poſſe a quovis alio: cum non ubique adſit, imo dentur, qui in effuſos riſus ſolvantur *Melancholici*, & ad obiecta vel leviora puerilem praetendant laetitiam. LORRY *de Melancholia & morbis melancholicis*, T. I. p. 2. In genere fatendum eſt, quod a cl. ARNOLDIO nuper aſſertum fuit: Veteres, huius morbi meliorem cognitionem habuiſſe, quam hodiernos medicos; *Obſervations on the nature, Kinds, cauſes and prevention of Inſanity. Sect. I.* Quod quidem eo magis dolendum venit, quo maiores nunc ubique progreſſus facit inſana mortis violentae cupido. Rationes huius miri atque triſtiſſimi phoenomeni praecipuas, alibi expoſui (Mediciniſche Polizey I. III. B.) & omnem certe tum Medicorum, tum *Magiſtratus* ipſius attentionem merentur. Neque enim hic officio ſuo ſatisfeciſſe ſibi videatur, ubi in *Suicidae* cadaver famamque magis *familiae* inſontis, quam demortui ipſius, ſaevierit: maior eſt enim

Senſorium commune ex confluxu omnium nervorum conſiſtere, ex quorum affectionibus anima percipiens diverſas acquirere ideas videtur;

---

vitae apud plurimos amor, quam, quid de mortuo dicant, metus: & qui illum ſuperare potuit Suicida, ab hoc vix unquam abſterrebitur. In *luxu* nimio —, in *vitiis* hominum, praecipue in *praematura Venere* crimineque *onanitico*, a quibus atra nimis Melancholia tandem inducitur —, in *ſenſibilitate animi nimia* & convulſiva quaſi, librorum, a luxuriante imaginatione editorum (*Romans* dicunt) lectionibus quotidianis enutrita —, in *coelibatus* ubique, non certe ob *morales* rationes, increſcentis, naturâ, & perverſa tum in corpora plurimorum, tum in animos actione — hinc in crudeli *parentum*, morumque in ſoboles *auctoritate*, qua utriuſque ſexus adoleſcentes, contra omnem ſaepe temperamenti rationem, reluctantemque naturae vocem, vel vi coacti, vel pie decepti, vitae *coelibi* conſecrantur; in praeconceptis de *religione* opinionibus, & incauta *Confeſſorum* in conſcientias delicatulas *auſteritate* — in populorum demum *miſeriis*, graviori hinc inde *Principum* iugo atque inſatiabili variarum in Republica *Sanguiſugarum* oppreſſione ad deſperationem uſque adauctis, hinc in omnis *hilaritatis* & laetitiae, *balſami* ſcilicet eximii, quo humanam ſortem demulcebant quondam mortales, totali fere extinctione, — in his, inquam, *Melancholiae taediique* ulterioris *vitae* apud plurimos ratio communiſſima conſiſtit; quam armis medicis incaſſum adgredimur, *Scalpelli anatomici* indagatione non detegimus, neque legum in *Cadavera* ſeveritate avertimus; niſi *Principum* cura ſanitatis publi-

quod ſi nunc nervus cuidam ideae deſtinatus male ſe habeat, obiectumque quoddam vehementius illi vel caſu, vel animae ex imperio applicetur, quid mirum, ſi violentioris eiuſmodi actionis veſtigia in ſenſorio reſidua ideam impreſſioni annexam diutius animae repraeſentent, anima autem ideam quandam vivide percipiens obiectum praeſens credit, quoties ſomni ludibriis ludimur, quin de dolo expergefacti noſmet convincere niſi difficiliter poſſimus; hinc ille circa obiecta animae error, qui delirium dicitur.

Eſſe quendam ſenſum homini innatum, qui ab ideis obiectorum quorundam grate, ab aliis moleſte afficitur, nemo, qui quaſdam ideas ſine intellectus concurſu placere, alias diſplicere advertit, negabit: quem dies ſerena, regio amoena, ſuavis muſices concentus &c. non delectant, quis autem aſpectum funeris putrefacti, hominis morientis non horret? nauſeoſum medicamen, tetrum venenum non averſatur? ad fragorem inſolitum, ſpiſſiores tenebras ipſi puſſiones expaveſcunt, hic ſenſus, cum anima ap-

cae, educationis, morumque rationem habere maiorem velit, ſicque praevenire magis, quam, ſine magno diſcrimine adhibito, *Suicidium* punire contendat.

petat grata, ingrata averſetur, appetentia autem, & averſatio animi pathemata excitent, merito pro illorum origine habetur, ille autem ipſe ſenſus in certo nervorum habitu, tenſione, conſtitutione, & certa obiecti applicatione poſitus eſſe videtur, â naturali haec conditione ponas recedere, quae antea grate, aut nullo modo nunc moleſte animam afficient. Cui caput dolet, & ſuaviſſima diſplicet muſica, cui ſaburra in ventriculo, & primis viis latet, delicatiores quoque cibi nauſeam creant, dulciſſima amare ſapiunt, unde anima, quae ſenſationis cauſſam ad obiectum refert, decipitur, & quae bona utilia, iucunda, horret, ſique inordinatis maxime pathematis vexatur, eo ad illa proclivior, quo ſenſus ille ipſe forſan ob nervorum nimiam tenſionem mobilior erit.

Atque tali depravationi vitae faſtidium, & autochiria adſcribenda videntur; ſuae profecto vitae anima ſenſum habet, quae enim vitam conſtituunt viſcera, nervos habent, qui â continua horum actione non poſſunt non affici, quo uſque vita nervos, unde illius ſenſus, grate afficit, anima hanc dilectiſſimam habet, ſed illis male plerumque conſtitutis, quidni â vita ipſa ingrate afficietur? vitam igitur moleſtiſſimam habebit, ſicque illam averſabitur. Quam prompte autem ad ſenſum quendam ingratum

actiones illum avertendi pares excitantur? cadentes brachia exporrigunt, cum quid ante oculos propius agitatur, nobis quoque reluctantibus clauduntur palpebrae, nauſeoſi, ſi quid ingeritur, vomitu reiicitur, manuſque, quam ignis urit, quam prompte retrahitur? ſimili melancholicos modo ad aufferendam ſibi vitam determinari nonne probabile? atque, cum male affectum ſenſorium commune melancholiam conſtituat, perverſam illius affectionem pro cauſſa melancholiae proxima habemus.

Cauſſas, quibus ſenſorium commune perverſe afficitur, iam remotiores, quae authoribus placent, ſi rimamur, quaſdam immediate, mediate tantum alias, id eſt per conſenſum nervorum in parte remotiore conſtitutorum agere obſervamus, immediate ſenſorium commune, animi motus magni, vel ex ira vehementi, amore veſano, metu magno, iactura gravi, imo gaudio inſigni &c. aggredi videntur (*); ex maxima

(*) Tres praecipue Melancholiae cauſſas eſſe dicit ill. & amiciſſimus ZIMMERMANNUS: *Viri* ex *ſuperbia*, *feminae* ex *zelotypia*, *puellae* ex *amore* inſaniunt. *Von der Erfahrung in der Arzneiwiſſenſchaft*. Quod ſi ſtultorum viſitemus habitacula, animi utplurimum pathemata in cauſſa morbi fuiſſe reperiemus; & qui, poſt eiuſmodi

enim fibrillarum ſenſorii communis agitatione oriuntur, cuius tanta teſte experientia vis eſſe poteſt, ut mortem quandoque inducat; his ſtudia protracta, intenſa, profundiora annumerari quoque debent, quibus actio ſenſorii, quod meditationum ſedes, longius protrahitur, validiuſque intenditur; eſt autem ea partium corporis noſtri conditio, validius, quod, ſi longiori tempore agitentur, debilitentur, & male ſe habeant, protractae huc ex eadem ratione vigiliae, quae ſpiritus conſumunt, pertinent. Mediate autem tantum motus corporis validi in aëre praeprimis calido, ſicco, Venus nimia, victus durus, auſterus, potus ſpirituoſus copioſior, vita ſedentaria, venena, febres male iudicatae, graviditas, puerperium, paſſio hyſterica, hypochondriaca agunt: haec enim omnia iuxta

---

occaſiones, in magnis viſcerum defectibus, poſt mortem quaeſiturus eſt, quid *Suicidam* vel culpoſum declaret, vel inſontem, morbique pronunciet victimam: is certe in rebus quam maxime dubiis verſabitur. Virgini 20. annorum, inter ſacras Virgines ſe recipere maximopere cupienti, cum id negatum eſſet, ilico ab audito repulſae nuncio, laborare mens coepit, & maniaca tandem facta eſt. MORGAGNUS, *de ſedib. &. cauſ. morb.* Lib. I. Ep. VIII. Quid vero in hoc, aliiſque ſimilibus exemplis per *anatomen* detegere licebit?

BOERHAVIUM, & SWIETENIUM ad geneſin atrae bilis conferunt, quae vel ſanguini univerſo admixta varie circulum partialem, fluidique nervei ſecretionem vitiare, vel ad ſyſtema portarum demandata, plexus meſeraicos, hepaticos, ſplenicos, gaſtricos diverſimode irritare poterit, quibus ſane ſenſorium diverſis perverſe modis afficietur, verum circa cauſſas hactenus enarratas, niſi vel in nervis, vel in ipſo cerebro iam aliqua fuerit non determinanda diſpoſitio, illas minime melancholiam inducere notamus. Sic in dies ab harumce cauſſarum pluribus, quin in melancholiam incidant, affectos, videmus.

Itaque, cum, ut hactenus monſtravimus, melancholia partem cultrum anatomicum fugientem occupet, hacque ex ratione neque proxima in corpore cauſſa detegi poſſit, ipſae autem cauſſae remotiores ſine quadam non perluſtrandae partis diſpoſitione haud agant, cuius uſus inſtitutae cadaverum ſectiones ad cognoſcendum illum morbum erunt? profecto, ſi quid valeant, vel ut partem morboſam, vel cauſſas indicent, partem morboſam ſummam ob tenuitatem non perſcrutari poſſe concedes? qui cauſſam reperies proximam? cauſſas autem remotiores dubias eſſe, & incertas negare non potes (*).

(*) Qui aberrantis mentis cauſſas in corpore dete-

Eſſe quoſdam, nos non latet, qui, cum cauſſam melancholiae proximam in bile atra ponentes, lienem pro huius officina conſtituant, ex lienis depravatione hunc morbum inferre velint, alios illum ex cerebri, aut aliorum viſcerum, & partium corporis vitiis quandoque deducere, atque haec obſervationibus conſtare contendant. Verum quomodo illa pro cauſſa haberi poſſunt proxima, quae toties deſideratum non producunt effectum, & licet cauſſas remo-

---

gendi gratia, *cultro anatomico* utentes, huic ſoli nimium confidunt; ii certe, uti iam innui, vel parum ſubtili de corporis animaeque commercio idea nituntur, vel oculis gaudent, quos natura MORGAGNIS & HALLERIS ſat benigna negaverat aliiſque ſummis anatomicis. Quantae non a paucis *ſolani furioſi* (Plantae a DIOSCORIDE *maniaca* dictae) vel *hyoſciami* granis, idearum perturbationes, quanta deliria obſervantur, quam enormes animi motus *contagiorum* plurimorum in nervos actio producit, quamque ſtupenda phoenomena a quovis acri vel ſubtiliſſimo, ad cerebrum delato oriuntur, quin ſtructurae in his mutationem aliquam inſecutam, oculo anatomici vel maxime lynceo viſibilem invenire liceat! Vereor, ne effectus vel huius vel alterius morbi, pro cauſſa Melancholiae ſaepiſſime habuerint Medici; Sed vereor magis, ne, ubi aberrationes a conſueta partium ſtructura forte non detexerint, in ſolam miſerorum mentem reiiciant facinus, quod inviſibilem quidem, non tamen ideo incorpoream ſemper agnoſcit originem.

tiores quaſdam in corpore viſibiles quoque mutationes inducere concedamus, cum ipſae hae cauſſae melancholiam non neceſſario inducant, cum illae mutationes in melancholicis non ſint conſtantes, qualem ex eiuſmodi mutationum obſervatione certitudinem habebis? quod, ut apertius pateat, explo ſam, atque obſoletam de generatione atrae bilis in liene hypotheſin mittentes, ad ipſas authorum obſervationes properamus. Nihil certi, ex quo melancholia inferri poſſit, innoteſcere profecto conſtabit.

Ut de liene ordiamur, Clariſſimi BONETI anatomicarum obſervationes ſectionum, cum evolvimus, de melancholico quodam (*a*), qui hypochondriacis ſymptomatis, & nephriticis doloribus crebro infeſtabatur, quod lien ſcirrhoſus, iecurque floridum fuerit, legimus. Alibi (*b*) corpus lieni aliquo modo globoſum, coloris diverſi, in cuius medio digiti latitudine atra linea, in convexo venae varicoſae, & craſſo ſanguine farctae, notat. Idem Melancholicae quoque feminae, in cuius cadavere nullus fuit lien repertus meminit (*c*). BLASIUS (*d*) prae-

(*a*) BONET. ſepulchr. T. I. L. 1. Sect. 9. Obſ. 25.
(*b*) Idem q. ſ. Obſ. 27.
(*c*) Idem Obſ. 22.
(*d*) Obſerv. anatom. p. 127. & Obſerv. medic. 22.

ter lienem quatuor libras ponderantem, & admodum durum in diſſecto melancholico nil obſervavit. Lividum, flaccidumque lienem, vaſa meſeraica nigro ſanguine referta in defuncto melancholico teſtatur WOLFRIGEL (*a*). Lienem ſcirrhoſum cum adnato tuberculo, humorem in meſenterio nigrum in defuncto melancholico reperta fuiſſe apud HORSTIUM (*b*) invenimus. TONNERUS (*c*) in quodam melancholico lienem admodum exiguum reperit. Cumque LAURENTIUS (*d*) quoſdam, in quorum familia melancholia haereditarie propagabatur, praematura morte ſublatos ſecaret, lienem admodum exiguum quoque vidit. Van Hornium melancholicum, qui fune ſe interfecerat, ſecaſſe, in quo ſolus peccaverat lien, qui, cum tunica illius removeretur, diffluebat, BARTHOLINUS (*e*) ſcribit. Debitam hiſce obſervationibus fidem nolumus infringere, quid autem hinc inferes? lienis depravationem produxiſſe melancholiam? vel in omni melancholico lienem eſſe vitioſum? Vitioſam enim ar-

---

(*a*) Miſcel. curioſ.
(*b*) Obſerv. anatom. 8.
(*c*) Epiſtol. 2. L. 6.
(*d*) BONET. ſepulchr. T. I. L. 1. Sect. 9. p. 192.
(*e*) Epiſtol. 97. Cent. 3.

gumentationem â particulari ad univerſale noſti, vel ad minimum, ubi lien vitioſus, ibi melancholiam eſſe concedas; quantum autem id â veritate ſit alienum, fida obſervatio demonſtrat.

Primum, quem teſtimonii cauſſa in medium proferam, ſit GLISSONIUS (*a*). Lien, inquit, olim affectuum melancholicorum reus actus eſt potius, quam peractus, neque ſententia illa nuperis eſt experimentis conſentanea, plurimi enim iſtiuſmodi affectionibus obnoxii, & poſt obitum exenterati, lienem ab omni culpa abſolverunt, atque apud FRANCISC. SYLVIUM (*b*) legimus: illud idem corpori utiliſſimum viſcus ab inexpertorum calumniis liberat diſſectio, dum in affectibus melancholicis etiam diuturnis, & poſt multorum annorum vexationem ad mortem uſque aegros comitantibus in cadaverum plurimorum perſcrutatione, innoxium, & plerumque prae caeteris viſceribus ſatis ſanum nobis manifeſtavit lienem, non inflatum, non induratum, non obſtructum, & vitiatus quoties lien, aut minor fuit detectus, quin vel minima melancholiae ſuſpicio fuerit. Sic THOMAS BARTHOLINUS (*c*) in obſervationibus anatomicis rarioribus de

(*a*) Anatom. hepat. c. 45. pag. 411.
(*b*) Diſputat. med. 5. p. 23.
(*c*) *Ungewöhnliche anatomiſche Geſchichte durch Georg Fegern* Obſ. 19.

viro febre lenta perempto, in cuius cadavere praeter alia lien coloris plumbei. Idem de phthiſico (*a*), cui lien craſſus nigricans cum tuberculo ovi columbini, de femina ex vomitu bilioſo defuncta, in qua lien duplo maior, recenſet idem (*b*), in iuvenis cadavere violenta morte extincti, lienem adeo parvum, ut duodecim vix unicas ponderaret (*c*), & in hydropico (*d*) quoque lienem admodum exiguum obſervavit. Habet commercium litterarium (*e*) ſectionem mulieris ex hydrope defunctae: omnia abdominis viſcera obſtructa, lienem autem vix quartam naturalis magnitudinis partem aequantem, in externa ſuperficie ad dimidiam partem cartilaginoſum habuit, quae tantum, quo viveret, â melancholia abfuit, ut hilaris ſemper animi ad mortem uſque cerneretur. In alio loco (*f*) lienis monſtroſi quindecim librarum, & alterius exigui adeo, ut vix nucem avellanam aequaret, ſine melancholiae notis mentionem facit. Nos quoque demonſtrante Clariſſimo Domino Praeſide lienem

---

(*a*) Ibidem Obſerv. 76.
(*b*) Ibidem Obſerv. 81.
(*c*) Ibid. Obſ. 5.
(*d*) Ibid. Obſ. 2.
(*e*) Ann. 1734. hebdom. 29. p. 231.
(*f*) Ibid. ann. 1732. hebd. 33. p. [illegible]

ex febre hectica defuncti ad minimum viginti ponderantem libras, plerumque extus cartilagineum, intus partim puriformi, & ſanguinolenta, partim recenti caſeo ſimili materia repletum perſpeximus, in quo nec ullum unquam melancholiae veſtigium fuit obſervatum. Quid iam de ſanguine aduſto, de vaſis epiploicis ſanguine nigro infarctis, de omento nigro, friabili, putrido, de hepate oedematoſo, fiſſuris affecto, de pituita in ventriculo reperta, de pyloro inflammato, de meſenterio ſcirrhoſo, de inteſtinis flatibus diſtentis, ex quibus in defunctorum cadaveribus obſervatis, Medici quoque celebres melancholiam inferre voluerunt, dicamus; ſanguinem ab obitu nigriorem, venas, in quas ex arteriis per mortem ſanguis fere omnis cogitur, plurimum tumidas, crebriores quicunque ſectiones inſtituit, facile obſervare potuit; quoties autem hepar obſtructione, meſenterium ſcirrho laborent, quin melancholia aegrum infeſtet, omnes norunt practici, & tota die inflammatio, & ſphacelus ventriculum, & omentum occupant, quin de melancholia ſomniare liceat. Haud pridem in Cadavere febre lenta defuncti, qui aſſumpta omnia vomitu reiiciebat, Clariſſimus Dominus Praeſes lienem magnum, induratum, omentumque in enormem mutatum ſcirrhum quindecim ad minimum libras ponderantem, to-

tumque exulceratum reperit, qui, cum totum obduceret pylorum, hunc ulcere quoque carcinomatoſo affecerat, neque per quinque menſes, quo malo hoc conquerebatur, vel minimam melancholiae ſuſpicionem moverat. Quis autem unquam colicae flatulentoſae, & tympanitidi, in quibus tamen inteſtina flatibus maxime diſtenduntur, melancholiam dixit propriam?

Aeque parum firmo pro aſſerenda melancholia ex cordis poſt mortem habitu ſumpta talo nituntur: humorem nigrum in ſiniſtro cordis ſinu feminae, quae ex melancholia perierat, BLASIUS (*a*) vidiſſe aſſeverat; authori mehercle credo: ſanguinem invenit, qui, quotieſcunque ſine aeris attactu in grumos ſecedit, colorem nigrum refert; quaeſo, cum nil praeterea author notare potuit, nonne viſibiles internarum partium mutationes in melancholia non ſemper exiſtere potius inde defendamus. Hocque ulterius ROLFINCKII obſervatio confirmare videtur (*b*), nil ille in melancholica, quae laqueo ſe ſtrangulaverat, quam cor exſuccum, & ventriculos ſanguine deſtitutos notare potuit, quis autem haec pro melancholiae ſignis habeat? author in removendo ſterno omnem attentionem, ne

---

(*a*) De palpit. cord. L. 2.
(*b*) Diſſertat. de cord. c. 2.

vaſa maiora fuerint ſecta, adhibuerit, thoracemque prae abdomine, & cranio, prius aperuerit, quibus neglectis ex ſectionis vitio cor exſuccum, & ſine ſanguine reperiri facile potuit, attamen, cum compreſſis â laqueo iugularibus venis reditus ſanguinis interim per liberiores arterias vertebrales ablati ad cor interciperetur, idemque ob impeditam reſpirationem in pulmonibus congereretur, quid mirum, ſi cor exſuccum manſerat. Et quoties ventriculi cordis vacui reperiuntur, cum fibrae ſinuum muſculares pauciores, & debiliores prae ventriculorum validioribus, motum ad ſanguinem in ventriculos evacuandum, requiſitum amittant? quis denique ex veſicula illa ſanguine nigro repleta, cordi accreta, ac pituita, uti author dicere amat, in utroque cordis ventriculo reperta, quae in melancholicis BONETUS obſervaverat, melancholiam affirmet? pituita, illa concretio quaedam polypoſa toties poſt mortem contingens, & veſicula, anevriſmatica cordis dilatatio probabiliter fuere. In quantum nunc, quae ex habitu cerebri pro adſtruenda melancholia ab authoribus deducta, valeant, quoque videbimus.

Venas cerebri ſanguine nigriore plenas, limpidam in illius cavitatibus aquam in melan-

cholico BALLONIUS (*a*) deprehendit. In alio, iuvene melancholico epilepſia perempto piae meningis vaſa BONETO (*b*) multo ſanguine nigro, & concreto referta videbantur. In femina diro capitis dolore afflicta, notiſſimos & omnia timente, in ſylvas ſaepius auffugiente, ac ter violentam mortem ſibi inferre nitente, tandem mortua, eidem (*c*) vaſa piae meningis maiora, ſanguineque pleniora, ventriculorum lateralis ſuperficies lutea, quaſi rubigine, & muco obducta croceo apparebant. Haec vero ad indagandam melancholiam eo minoris ſunt ponderis, cum vix nunquam vaſa cerebri, gravis niſi praegreſſa fuerit haemorrhagia, in defunctis ſanguine non ſint plena, atque profecto in laqueo ſtrangulatis de autochiria ſuſpectis ſemper repe-rientur pleniſſima. Aqua autem in ventriculis cerebri eo minus incuſari poteſt, cum toties in ventriculis ſine melancholia obſervetur, quin, illam mortis potius effectum, quam alicuius morbi praegreſſi cauſſam cum LANCISIO exiſtimamus: *Magna interdum*, inquit (*d*), *ſeri copia ex coacto intra pulmonum, ac cerebri vaſa ſan-*

(*a*) Epid. & Ephem. L. 2. p. 244.
(*b*) Sepulchr. L. I. p. 182. Obſ. 3.
(*c*) Idem Obſ. 2.
(*d*) De mort. ſubit. L. 1. p. 24.

guine, violenter extruditur, & in thoracis, vel cerebri cavitatibus colligitur; hinc frequens erroris anſa apud minus in arte peritos, qui lympham in ſinubus cerebri invenientes, illam ut cauſſam, cum plerumque fuerit duntaxat effectus, accuſare ſolent. Verum, quam parum lympha eiuſmodi extravaſata, ipſaeque graviores cerebri affectiones pro melancholiae cauſſis haberi poſſint, obſervationes ſedulo ponderatae optime docebunt, obſervationes autem praecipuas iam ſaepius laudatus BONETUS ſuppeditabit.

Quendam de capitis gravitate conqueſtum eſſe notat (*a*), ablato mortui cranio ſemilibram ſeri tenuioris in meningibus, & ventriculis reperit. In alius (*b*) de dolore gravativo, dum viveret, conquerentis cerebro extraordinariam aquae collectionem deprehendit. In alio (*c*) immani cephalalgia afflicto, febri demum correpto, qua iudicata cephalalgiae tamen reliquiae manſerant; cum defunctus eſſet, non tantum cerebrum copioſo humore irriguum, ſed globum quoque glandulae ad inſtar cerebri ſubſtantiae incluſum invenit. In icterico (*d*) capitis dolori-

(*a*) T. I. L. 1. Sect. 1. Obſ. 32.
(*b*) Idem Obſ. 33.
(*c*) Ibidem Obſ. 35.
(*d*) Ibid. Obſ. 38.

bus continuo infeſtato, mortuo; meninges flaveſcentes, & in ventriculis ſat copioſum liquorem limpidum, ſubſalſum vidit. Laboraverat quidam (*a*) urinae ſuppreſſione, poſt mortem caput aqua plenum inventum. In muliere (*b*) ex colica paralytica, & epilepſia oppreſſa in plicis cerebri, & ventriculis aqua haeſit tenuiſſima. In muliere vertiginoſa, tandem ſubito extincta, & aquam, & abſceſſum, ovum gallinaceum magnitudine aequantem inventa fuiſſe fidem nobis WEPFERUS (*c*) facit. Et de vulnerato quodam in cranio, qui reſtitutus videbatur, domo iam, ut conſuetis fungeretur negotiis, egrediente, altera die epilepſia ſubito corruente, habet SALMUTIUS (*d*), quod dimidium in diſſecto cadavere cerebrum fuerit ſphaceloſum (*).

(*a*) Idem q. ſ. Sect. 11. Obſ. 2.
(*b*) Ibidem Sect. 12. Obſ. 12.
(*c*) Diſſert. de Apoplex. p. 398.
(*d*) Centur. 3. Obſ. 22.
(*) Virum mercatorem *Bruchſaliae* in Principatu *Spirenſi* vidi, qui iam per menſem, poſt acceptum capitis vulnus, ſanus videbatur & cum parvo admodum ad frontem ulcuſculo obambulabat ad ſuos nunc reverſurus. Cum *Aulae* Chirurgus, ſpecillo ulcuſculum necdum optime clauſum viſitaret, media illius pars, abſque omni vi adhibita, proprioque pondere in cavum cerebri illapſa, & dein a perterrefacto Chirurgo, quin aeger animadverteret, retracta eſt. Vidi hominem, ſaniſſimo in omnibus ſimilem, mo-

Quoties igitur aqua in cerebro, gravius quoties ipſum cerebrum affectum? quin melancholia naſcatur. Quis igitur ex aquae in cerebro praeſentia, quis ex diverſis ſenſibilibus cerebri affectionibus melancholiam inferat? Sexcentas adhuc in aſſerti fidem obſervationes, niſi diſſertationis limites excederemus, adducere poſſemus, unicam tantum coronidis loco proferre adhuc liceat: Vir triginta annorum pilis nigris, temperamenti melancholico cholerici, ictero laborabat (a), qui quartana exceptus in hydropem abiit, â qua tamen convaluit, ſubito epilepſia extinguitur, in defuncti cadavere hepar ingentis magnitudinis duplo naturali maioris, lien naturali triplo maior, flaccidus, friabilis, colore ad lividum accedens, epiploon, & meſenterium partim ſphaceloſa, cor flaccidum & molle, intra meninges, & cerebri ventriculos magna aquae

nuique ne itineri longiori ſe committeret: ea ipſa vero nocte *francofurtum* petiit, ubi per tres adhuc dies degebat, cum ſubito totum caput Eryſipelate inflaretur, ac ſub deliriis magnis ſequenti die obiret aegrotus. Cadaver apertum non fuit; ſed cui dubium eſſe poteſt, magnam in calvaria ſuppurationem latuiſſe, quin tamen vel minima abinde, niſi brevi ante mortem ſequeretur idearum confuſio!

(a) BONET. ſepulchr. T. I. L. 1. Sect. 22. Obſ. 13.

copia acris, ſubacidi, falſi ſaporis fuere deprehenſa, quod ſi ille atroci impulſus ſcelere ſibi ante terminum fune vitam ademiſſet, credo medius fidius! vulgi opinione ductus in illius melancholiam iuraſſes (*).

Quid igitur in defuncti eiuſdem cadavere ſplenem maiorem, aut minorem, aut obſtructum,

(*) Cerebrum delirantium modo *durius*, modo *mollius* invenerunt anatomici. Cl. LITTRE & GEOFFROY in duobus maniacis, cerebri ſubſtantiam invenerunt multo firmiorem. Univerſam cerebri ſubſtantiam ſolito compactiorem LANCISIUS vidit. Sic & MORGAGNUS in variis cerebrum ita firmum conſpicuit, ut nonnulla perſpicue magis ac commodo, & diſquirere & dignoſcere potuerit. Neque in omnibus ſtultis omnes cerebri partes aequali duritie inveniuntur: *molle* cerebrum in maniaco ſane obſervavit LENTINUS *Beobachtung einiger Krankheiten*, *S.* 113. Profundiorem cerebri ſubſtantiam medullarem ex parte *valde mollem* in *quadraginta duobus* maniacis, & in aliquibus ita mollem, ut ab attactu, pultis inſtar, difflueret, vidit cl. GREDINGIUS. In 33. maniacis corticalis cerebri ſubſtantia naturalis erat, aliquando quidquam firmior. Subſtantia medullaris mox ſub cortice naturalis, vel vix firmior. *Adverſaria Medico pract. Vol. II.* fatetur tamen & ipſe ill. MORGAGNUS, nullius momenti in probanda ſtultitia obſervatam a ſe cerebri in ſtultis duritiem eſſe: cum in quibuſdam, qui minime ſtulti erant, cerebrum non minus durum invenerit; & cum ſtultitiam ſine cerebri duritie fuiſſe, quamplurimi viderint.

quid vaſa abdominis ſanguine nigriore turgeſcentia, quid cor exſuccum, & ſine ſanguine, quid cerebrum diverſimode affectum inveniſſe pro adſtruenda melancholia iuvet? Profecto, cum toties haec omnia ſine melancholia reperiantur, quoties dubiis hiſce nixus opinionibus perperam pro melancholicis quoſdam habebis? cum alios vere melancholicos, ubi nil tale reperies, ab hac labe abſolves? ne autem in plurimis melancholicis nil praeter mentem affectum eſſe, temerarium credas aſſertum, en, quae obſervatio docet: De melancholico in Iuriſprudentia medica MICHAELIS ALBERTI ex depravata mente ſe Sodomiticum credente legitur (*a*), quod quoad corporis ſtatum a Medicis ſanus declaratus, & per totam vitam nullo notabili morbo afflictus fuerit. De puella, quae ex protractiori balneo vaporis in melancholiam inciderat, nil aliud meminit BüCHNER (*b*), quam quod ſe damnatam haberet, & de femina, quae aquis ſe ſuffocaverat (*c*), quod praeter vehementem angorem Medicus nil ante mortem apud illam obſervaſſet.

(*a*) T. 5. p. 758.
(*b*) Miſcel. phyſ. med. T. I. p. 147.
(*c*) Ibidem p. 1195.

In commercio literario (*a*) melancholici caſum habes cuiuſdam, qui propter imaginarium cum diabolo pactum miſere angebatur, praeter angorem illum nil obſervans Medicus brevi illum, poſtpoſitis exorciſmis, ab hoc larga venae ſectione liberavit. En melancholicos, in quibus certe praeter mentem nil laboraſſe videtur, quodlibet enim viſcus in corpore determinatam habet functionem, quodſi igitur nulla praeter cerebri laeſa appareat, reliqua nonne viſcera ab omni abſolvenda; quod autem & poſt mortem melancholicorum cadavera ſine ulla viſibili labe reperiri poſſint, ex obſervatione â Tropponecro conſcripta (*b*) patet, accerſitus ad iuniorem nobilis feminae ancillam, quae ex furore melancholico novacula iugulum ſibi abſciderat, in illius ſecto cadavere nec minimam inveniſſe labem teſtatur.

Verum, quo in caſu autochiriae dubio melancholia dignoſcatur? ex vita ante acta, & ipſa necis ratione: ſi quis enim diu ſine manifeſta cauſſa triſtis, & moeſtus, magniſque animi motibus angore agitatus, aut, ſi â familia melancholica, quos ad hoc malum authores omnes habent maxime diſpoſitos, aut ſi diutius

(*a*) Anno 1734. p. 129.
(*b*) Deciſ. med. forenſ. decad. 5. Caſ. 10. p. 195.

gravi iactura, vel curis vexatus fuerit, quod ſi nece violenta non ad advertendam, quam arrogantiores vitae parem habent, infamiam, non ad ultrices iuſtitiae manus fugiendas ſe perimat, & tum quoque niſi vitam egerit perditiſſimam, illum pro melancholico habeas, etenim, cum â ſanae rationis homine, quod membrum quoddam nobilius libere velit amittere, ſit incredibile, quî, quod quis vitam humanorum praeſtantiſſimum, quouſque ſapit, ſibi aufferat, credas? non tempore ethnicorum, quo homines perverſis imbuti opinionibus inter maximum necem voluntariam herciſmum referebant, cum Chriſtianis vivimus, quibus non ſolum cum innato vitae amore, verum, cum metu ignominiae, cum metu inferni, qui tenerrimis iam animis imprimitur, colluctandum.

Cumque igitur melancholiae ſedem in parte totius corporis tenuiſſima, & quoad fabricam penitus ignota oſtenderimus, cauſſam, cum proximam acutiſſimam oculorum aciem fugere appareat, &, quae vulgo pro cauſſis cognitae, cum viſcera, in quibus melancholiae ſedem figere quibuſdam placuit, toties ſine melancholia reperiantur affecta, toties melancholici ſine ulla viſibili viſcerum laeſione ſint, vix uliam fidem mereantur, in dubio autochiriae caſu â ſectione nonne abſtinendum? abſtinendum profecto, quod

ſectio inſonti ſemper aliquam infamiae maculam vulgo imprimat, ad eruendum ſontis crimen nihil proficiat. Hiſce ſit ſtudiis noſtris impoſita coronis, neutiquam vero quoad omnipotens vitam conceſſerit

F I N I S.

CHRISTIANUS FRIDERICUS LUDWIG

DE

SUFFUSIONIS PER ACUM CURATIONE.

(Lipsiae 1783. cum Professorium munus ibidem in se susciperet Auctor clarissimus.)

PRaeter iſtas, quae calculum e veſica extrahere, inteſtinum ex ſede motum reponere, & capitis vulneribus mederi docent curandi vias, ſuffuſionis curatio ſine dubio in maxime celebratis ſemper fuit. Quod factum eſſe videtur & ob viſus organi dignitatem & ob ipſius mali frequentiam. At vero non unam eandemque medendi adhibuerunt chirurgiae magiſtri methodum, ſed duplicem, eamque omnino ſibi contrariam, aliis ex oculi artificioſa capſa obſcuratam lentem extrahentibus, aliis eiuſdem mali cauſſam in oculo ipſo deducentibus. Itaque primis temporibus ea medendi ratio praevaluit, quae viſa eſt propemodum omnibus & quam maxime conveniens, neque adeo periculoſa; uſque dum medio, quo nunc vivimus, ſaeculo, celeberrimi chirurgi aliam proponerent curationem, quae, quamvis ab initio priori palmam praeripere videbatur, tamen

neque omnibus, neque recentiſſimis inprimis magiſtris omnino fuit probata. Etenim veteres & mediae aetatis ſcriptores & recentiores quoque chirurgi, deprimere inter oculi tunicas lentem cryſtallinam ſuaſerunt. Nolo iam omnes ſcriptores, qui a primis chirurgiae initiis hanc curandi viam commendarunt, recenſere; ſufficiat, modo praecipuos nominaſſe, inter quos *A. C. Celſus*, (*a*), *Paulus Aegineta*, (*b*), *Avicenna* (*c*), *Albucaſis* (*d*), *Arn. de Villanova* (*e*), *Guido Cauliacenſis* (*f*), *Valeſcus de Taranta* (*g*), *Io. de Vigo* (*h*), *Pareus* (*i*), *Bartiſch* (*k*), *Hier. Fabricius* (*l*), *Durantes Scacchius* (*m*), *Briſſeau* (*n*), *Antonius Maitre Iean* (*o*),

(*a*) Lib. VII. cap. 7.
(*b*) Lib. III. cap. 22.
(*c*) Lib. III. fen. 3. tract. 4. cap. 20. p. m. 550.
(*d*) *Halleri* bibl. chirurg. I. 137.
(*e*) Breviar. Lib. I.
(*f*) Chir. magna tr. 6. doct. 2. p. m. 71.
(*g*) In philonio pharmaceutico & chirurgico edit. *G. W. Wedelii* Frf. & Lipſ. 1680. 4. p. 170.
(*h*) Chirurg. Lib. 4. c. 7.
(*i*) *Vffenbach* theſ. chirurg. p. 356.
(*k*) οφθαλμοδουλεια 1583. fol. p. 60.
(*l*) p. m. 24.
(*m*) cf. *Halleri* biblioth. chirurg. I. 271.
(*n*) Traite de la Cataracte & du Glaucoma par Mr. Briſſeau le fils à Paris 1709. 12.
(*o*) Traite des maladies de l' oeil a Paris 1722. p.

Franciſcus Petit (*a*), *Laur. Heiſter* (*b*), *Dud-dell* (*c*), *Ferren* (*d*), *S. Yueſius* (*e*), *Günz* (*f*), *Pallucci* (*g*), *Troſchel* (*h*), & plures (*i*),

---

170. ſeqq. & *Boerhave* de morbis oculorum Goett. 1750. p. 127. ſeqq. 8.

(*a*) Memoires de l' acad. R. des ſciences a Paris 1725. 1726. 1730. & in variis epiſtolis ſeorſim editis cf. *Halleri* diſſ. chirurg. T. V. & Bibl. chir. II. p. 1.

(*b*) In variis ſcriptis cf. *Halleri* Bibl. chirurgica T. II. p. 5.

(*c*) A Treatiſe of the Diſeaſes of the Horny-Coat of the Eye and the various Kinds of Cataracts London 1729. 8.

(*d*) Quaeſt. Quinam ſint praecipui, quomodo explicentur & curentur lentis cryſtallinae morbi? Paris 1732.

(*e*) Traite des maladies des yeux Amſt. 1736. 12. p. 219.

(*f*) *I. G. Günz* & *I. P. Schnitzlein* de ſuffuſionis natura & curatione Lipſ. 1750. 4. c. f.

(*g*) Deſcription d' un nouvel inſtrument propre a abaiſſer la cataracte avec tout le ſucces poſſible a Paris 1750. 12. — Hiſtoire de l' operation de la cataracte faite a ſix ſoldats invalides par *Palucci* Paris 1750. 12. Methode d' abbattre la cataracte par *Palucci* a Paris 1752. 12. — Lettre a Mr. le Marq. de ** ſur les operations de la cataracte faites par *Palucci* 1751.

(*h*) *Buchner* & *Troſchel* de cataracta omni tempore deponenda. Hal. 1753. 4.

(*i*) *I. I. Wepſer* cf. *de Vigiliis* Bibl. chirurg. T. II. p. 1269. *C. Solingen* p. m. 83. *Ant. Benevolief de Vigiliis* p. 1290. *I Taylor* cf. ibid. p. 1297. *Petrus Idema* & *Petr. Rahtlaw* ibid. p.

illam curationem prae caeteris explicarunt, emendarunt & perfecerunt. Erant autem medio ſaeculo hoc chirurgorum quidam, qui, cum illam operationem non ab omni difficultate liberam animadverterent, crediderunt lentem potius ex oculo educendam, inter quos *Freytag* & inprimis *Daviel* fuerunt ſane primi & principes, quibus ſe multi adiunxerunt aſſeclae, ita, ut fere uno ore in omnibus chirurgiae ſcholis lentis extractionem eius depreſſioni praeferendam eſſe plurimi exiſtimarent. Fuerunt tamen, ut fieri ſolet, ſemper doctiſſimi & exercitatiſſimi chirurgi, qui non ſemper fidem huic curationi temere tribuerent & potius alteram methodum in quibuſdam ſaltem caſibus anteponendam iudicarent, e quorum numero *Sharpium* (*a*), *Warnerum* (*b*),

---

1302. & 1306. *Io. de Gorter* chir. repurg. Lipſ. 1762. p. 247. *Walhom* in actis ſuecicis ad annum 1757. & ſeqq. *I. Fr. Henkel. Abh. der chirurg. Operationen* 1. *Stück Berlin.* 1770. 8. *A. F. Pallas Chirurgie, Berlin.* 1776. 8. *p.* 160. *ſeqq. H. Niemand.* de ſuffuſione Arg. 1676. 4. *P. G. Schacher* & *G. F. laſchke* de cataracta Lipſ. 1701. 4. *I. C. T. Wolf* de cataracta Gieſſae 1774. 4. &c.

(*a*) A critical Inquiry into the preſent ſtate of Surgery Lond. 1761. 8. p. 264.

(*b*) Caſes in Surgery with Remarks by *Ioſeph Warner* London. 1754. 8.

Gendronum (*a*), *Zachariam Vogelium* (*b*), *Olof Acrel* (*c*), *Ianin* (*d*), & *Morand* (*e*), omiſſis aliis, modo nomino. Inter recentiſſimos autem chirurgos & in hoc genere claros ſcriptores nuper varii extrahendi artificium in dubium vocare auſi ſunt, iſtorumque lucubrationibus effectum eſt, ut priſca methodus plurimis denuo commendaretur. Eminent inter hos *Percival Pott* (*f*), *Henr. Calliſen* (*g*), *Stoll* (*h*), *Siehold*, uti ex amiciſſimo D. *Weidmann* comperi,

---

(*a*) *L. F. Debais Gendron* Traité des maladies des Yeux à Paris 1770. 8.

(*b*) *Anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen Roſtock* 1759. 8.

(*c*) *Chirurgiſche Vorfälle Götting.* 1777. *I. Band. S.* 105. *ſeqq.*

(*d*) Precis d' operations de chirurgie par *le Blanc* Tom. I. p. 512. & Memoires & obſervations anatomiques-ſur l' oeil & ſur les maladies, qui affectent cet organe par *Iean Ianin* a Lyon, & a Paris 1772. 8.

(*e*) Opuſcules a Paris 1772. 4. II. p. 222.

(*f*) Works Vol. III. Lond. 1779. 8. p. 171. ſeqq. & Modern, Improvements in the practice of Surgery by *Henry Manning*. M. D. Lond. 1780. 8. p. 142. ſeqq. & *Richters* chir. Bibl. III. p. 567. ſeqq.

(*g*) Inſtitutiones chirurgiae hodiernae Hafniae 1777. 8. p. 551.

(*h*) Venerabilis noſter praeceptor in ratione medendi III. p. 443.

& *Mohrenheim* (*a*). Quae res, cum plane attentione omnium eorum, qui de rerum natura & morborum medela ſeverius cogitant digna ſit, eam diſquirere & horum virorum rationes ponderare noſtri nunc erit. In univerſum autem crediderim, illos, qui lentem extrahendam cenſent anatomen ſubtiliorem, illos vero, qui ipſam deprimendam iudicant, naturam potius conſulere (*), atque ſine dubio

(*a*) *Beobachtungen verſchiedener chirurgiſcher Vorfälle Wien* 1780. *I. Band.* 8. *p.* 46. 56. 61.

(*) His adde, quod *crumenae* ſuae chirurgi, quos *oculiſtas* voce barbara dicunt, magis per *extractionem* conſulant, quam per *depreſſionem*. Quamvis enim tam *ſubtilis anatomes* ad illam non requiratur ſemper, cum eadem fere felicitate a rudibus quandoque, & vix communis ſtructurae oculi expertis hominibus, perfici noverim; eſt tamen maior operationis, & qui ſanorum oculos magis percellat apparatus. Hinc enorme quandoque pretium a miſeris extorquent *circulatores* illi, pro *extractione* non adeo difficili, cum parum admodum pro *depreſſione* cataractae ſolvi ſoleat; ut mirum ſit a *Magiſtratu* his non proſpici, & cuivis provinciae expertos & in his Chirurgos non conciliari, qui modico *utramque operationem* pretio, in ſe ſuſciperent, neque, uti exteri ſolent, aegrotos, prima iam vel altera ab operatione ſuſcepta die, poſtquam ante illam, pretium de quo conventum erat, extorquere quam optime didicerant, fato ſuo relinquerent.

plures depreſſione, quam extractione curatos eſſe aegros.

Quae cum ita ſint, liceat incommoda & commoda utriuſque methodi ponderare atque ex his, quaenam optima ſit & quibuſnam caſibus quaelibet ſit accommodatiſſima, concludere. Enarrarunt eruditiſſimi viri depreſſionis incommoda & difficultates, inprimis *Tenon* (*a*), *Iuſſieu & Thurant* (*b*), *Quelmalz* (*c*), *Lander* (*d*), *Schurer* (*e*), *Guerin* (*f*), & celeb. *Richter* (*g*); a quibus recenſentur varia & ſat ſpecioſa adverſus ſuffuſionis depreſſionem argumenta, quorum alia ab aliis iam refutata ſunt, alia mihi refutanda ſumo. Metuunt primum in hac chirurgia aponeuroſeos muſculi abductoris, nervorum ciliarium, proceſſuum ciliarium, ligamenti ciliaris

(*a*) Theſ. *Andouille & Tenon* de cataracta Par. 1757. c. f. 4.

(*b*) In Theſi cf. *Halleri* diſſ. chirurg. II. 165.

(*c*) Depoſitionis cataractae effectus Lipſ. 1748. 4.

(*d*) Diſſ. de cataracta Edinb. 1758. 8.

(*e*) *I. Lud. Schurer* num in curatione ſuffuſionis lentis cryſtallinae extractio depoſitioni ſit praeferenda. Arg. 1760. 4.

(*f*) Eſſai ſur les maladies des Yeux par *Guerin* a Lyon 1769. 12. p. 351.

(*g*) De variis cataractam extrahendi modis Goet. 1766. 4. & in Faſc. Obſ. chirurg. Goet. 1770. 8.

& vaſorum choroideae laeſionem: Qui haec affirmant, cogitent haſce partes laedi non poſſe, niſi vel acus iuſto proprius corneam introducatur, quemadmodum nonnulli perverſe faciunt, vel in ipſo oculo ita verſus anteriora ducatur, ut debeat haſce dilacerare partes. Quos errores & perverſas curandi methodos egregie perſtrinxit *Günzius* (*a*), qui locum inter finem proceſſuum ciliarium & ortum aponeuroſeos muſculi abducentis ad perforandam ſcleroticam omnium maxime idoneum cenſet. A laeſis choroideae vaſis non magna incommoda proficiſci mihi videntur, quia raro magna interius oritur inflammatio, Proceſſus ciliares porro & ligamentum eiuſdem nominis in rite inſtituta adminiſtratione ſalvos ſervari poſſe, & ex ipſo illo argumento patet, quo demonſtratur, lentem in ſtatu morboſo exſiccatam poſt pupillam minus occupare ſpatium ita, ut ſeiungatur a pupilla. Quod argumentum prae ceteris proponunt *Pouſſe & Gentil* (*b*). Porro affirmant poſſe acu iridem laedi; ſed hoc non niſi inepta encheireſi (*c*) fieri poteſt, & nonne idem in extractione evenire multo faci-

---

(*a*) L. c. Cap. II.
(*b*) In theſi cf. *Halleri* diſſ. chirurg. II. 183.
(*c*) *Günz* l. c. p. 36.

lius poteſt, & multo frequentius ſolet? Diſrumpi in varias particulas depreſſam ſuffuſionem alii enunciant. Atque hoc etiam nonnunquam ſane accidit, at tunc vel illae particulae, quae iam depreſſae ſunt, eo facilius ſolvuntur, vel particula in anteriorem cameram translata, in illa facile diſſolvitur, vel extractionis adminiſtratione ex ipſa eliminari poteſt. Legitur apud *Olof Acrel* curationis hiſtoria, in qua ſingulas cataractae portiones ſe demiſiſſe ſcribit (*a*). Poſſe lentem in ipſa operatione in cameram anteriorem propelli, vel ipſam depreſſam iterum reaſcendere, iidem monent. His vero reſpondeo in priori caſu extractioni adhuc locum eſſe (*b*) & in poſteriori depreſſionem iterum tentari poſſe & debere. Monent enim optimi ſcriptores inter quinquaginta caſus, ſi ſuffuſio rite demiſſa fuerit, vix unam vel alteram reaſcendiſſe. Aliis lens pondere ſuo vitreum humorem comprimere, circulum ciliarem retrahere & inflammationes procreare viſa eſt. At vero, quod inflammationes attinet, illae in interioribus non tam ſubito oriuntur & gignuntur, quemadmodum externis

(*a*) L. c. I. p. 125. *Mohrenheim* l. c.
(*b*) *Heiſter* Inſtitut. chir. p. m. 576.

in locis, & dein lentem depreſſam ſenſim exſiccari eiuſdemque volumen imminui, atque diſſolvi a multis obſervatum eſt, ita, ut humor vitreus & corona ciliaris non tantum detrimentum capere queat, quod etiam ipſa circumſpecta & curioſius peracta adminiſtratione praecavetur. Poteſt, aliis obſervantibus, acus cellulas humoris vitrei dilacerare; quod ſi evenit, non ita periculoſum iudicandum eſt (*a*), atque idem ſaepiſſime in extractione atque multo maiore cum periculo accidere, quis eſt, qui neſciat? Reſtant autem & alia argumenta, quae haud minus pondus habere videntur. Nempe a pleriſque affirmatur, locum habere non poſſe depreſſionem, ſi cataracta mollis vel ſemimollis ſit. Sed huic obſervationi obiiciendum eſt, quamvis multam prae ſe ferat ſpeciem, illam, quam nos commendamus, curandi viam, ſi ſuffuſio vel mollis vel ſemimollis fuerit, multo felicius, quam extractionem adhiberi. Quodſi vero per infelicem curationem mollis cataracta defluit & cum aqueo humore miſcetur, tunc illa in ipſo humore mox diſſolvitur ita, ut plerumque nullum omnino eius veſtigium remaneat & camera anterior iterum pellucens appareat. Utitur in illo caſu Cl.

(*a*) *Günz* l. c.

Mohrenheim vitriolo caeruleo in aqua ad collyrium ſoluto (*). Torquet *Pott*, ſi ſuffuſionem mixtam curare ſuſcepit, acum in ipſa cataracta ſaepius, & vulnere in capſulam lentis inciſo, nihil ſe habere putat, quare impediat, quominus ipſe ſemimollis lentis humor in cameram anteriorem defluat. Perpaucos ignorare multo plures difficultates in extrahendi negotio mollis ſive ſemimollis cataractae obvenire, mihi credibile eſt. Obeſſe duram atque ſolidam cataractam & indiſſolubilem viſui, eſt aliorum atque celeberrimorum chirurgorum & medicorum opinio. Hanc vero quoque duriorem, quamvis non ſemper, tamen ſaepe diſſolvi, argumento ſunt obſervationes, anatomica praeparatio, inſtituta experimenta, lentes poſt extractionem mox diſſolutae. Factum vero eſt, ut cum perpaucae atque accuratae diſſectiones cadaverum inſtituerentur, in quibus ſuffuſionis depreſſio facta erat, chirurgi crederent, cataractam haud diſſolvi. Credit *Pott* unamquamque lentem obſcuratam, duriorem quoque volumine imminui, diſſolvi & evaneſcere, ſimulac e capſula excluſa fuerit, illoſque errare, qui lentem duram atque ſolidam

(*) l. c. p. 61.

cum lente cryſtallina piſcis coacta comparaverint (*a*). Sunt, qui credant ſemper internas oculi partes dilacerari depreſſa lente, ſed hoc ſe non ita habet, ſi modo depoſitio a chirurgo bene adminiſtratur, ſicuti iam ſupra a nobis dictum eſt. Superſunt & aliae difficultates & incommoda, quae velamenti lentis cicatrices, & uveae per lentem factam irritationem concernunt, quae utpote a *Günzio* examinata (*b*) & egregie expoſita brevitatis ſtudioſus praetereo.

Sed progrediar his examinatis ad expoſitionem difficultatum, quae cum lentis extractione coniunctae ſunt, quibus depreſſionis commoda ſubiungam. Sed brevis ero in iſtis commemorandis. Non quidem in omnibus, at tamen in multis caſibus extractionem reiicio atque improbo, ob iridis vulnus eiuſdem prolapſum (*c*), cuius plura vidi exempla, ob humorem vitreum effluentem, ob velamenti lentis & inde pendentem proceſſuum ciliarium laeſionem, ob corneae, quae viſum turbant, cicatrices, ob exſiccationem camerae anterioris poſt aquei humoris effluxum, ob nimiam ſaepe camerae anterio-

(*a*) l. c. p. 202.
(*b*) Diſſ. cit. cap. 2.
(*c*) *Gataker* cf. Comm. Lipſ. X. 696.

ris anguſtiam (*a*), ob aerem cum impetu violento irruentem (*b*), ob inflammationes, quibus ſaepe lippitudines naſcuntur (*c*), ob ſtaphylomata, quae a vaſculis uveae laeſis gignuntur, ob motum uveae laeſum, quam mydriaſes incurabiles ſubſequuntur, ob oculi mobilitatem (*d*), ob pupillam ſaepe nimis arctam, ob ſitum oculi nonnunquam nimis profundum in orbita, &c. Interim tamen non ignoramus extractionis curationem interdum cum fructu adminiſtrari, uti infra fuſius explicabimus. Nollem enim talis videri, qui in univerſum extractionem damnaret, cum bene ſciam & illam curationem ſua habere commoda. Utraque enim methodus laborat quibuſdam difficultatibus & utrique ſua eſt propria praerogativa. Commoda enim depreſſionis non tam exigua & vilia ſunt, quemadmodum ſtatim videbimus. Conſervatur nimirum hac curandi via pupilla, pars ex praecipuis oculi, uti mihi videtur. Si enim caute & circumſpecte operatio adminiſtratur, tunc ſine laeſione ligamenti ciliaris, proceſſuum ciliarium & uveae poſterioris, quae partes pupillam ſpectant, depreſſio fit. Aliud, neque id minus,

(*a*) *Gataker* l. c.
(*b*) *Gataker* l. c.
(*c*) *Gataker* l. c.
(*d*) *Warner* l. c.

commodum eſt, quod neque omnis humor aqueus egrediatur, neque humor vitreus protrudatur, id quod in extractione curationi ſaepe obeſt. Porro vel omnino inflammatio & inflammationis ſymptomata caventur vel modo minuta aliqua ſuboritur. Exteriori enim vulnere acus perpauca laedit vaſa, neque interiora vulnera ita periculoſa cenſeri, cognitum eſt. Vidi Viennae in noſocomio S. S. T. feminam 45. annorum, cuius oculi tunica adnata ita irritabilis erat, ut modo digito admoto iam inflammaretur. Quae, ſi extractione curatio tentata fuiſſet, ſane maxima affecta fuiſſet inflammatione, depreſſione autem egregie convaluit. Quod repetitio curationis locum habeat, id, quamvis plures aliter ſentiant, haud leve commodum cenſeo. Depoſuit *Warner* (*a*) quater reaſcendentem cataractam, uſque tandem aegrum a malo liberaret; extant exempla plura apud *Valeſcum de Taranta* (*b*), *Ianin* (*c*) & alios (*d*), & vidimus ipſi ſimilia. Et quidem eapropter repetitionem operationis tanquam commodum huius methodi praedico, partim, quia altera curatio, quae extractione fit, hoc non

(*a*) l. c.
(*b*) l. c. p. 171.
(*c*) l. c.
(*d*) *Olof Acrel.* l. c.

permittit, partim, quia, quamvis operationem repetieris, malum tamen nec increſcit nec augetur. Sic & in illo aegroto demittitur ſuffuſio ſecure, cui eſt pupilla arctior, camera anterior haud ſpatioſa, & oculus in orbita nimis profunde deliteſcens. Neque deſunt alia argumenta, quae commemoratae methodo favent. Sic obſervatione & experientia conſtat, cataractas ſponte deſcendiſſe, volumen lentium in oculo ipſo imminutum eſſe. Primum quod attinet, referuntur talia exempla a *St. Yves* (*a*), *Gendron* (*b*), *Eſchenbach* (*c*) & aliis (*) Lentes autem imminui & diſſolvi, probant anatomica praeparatio, extractio, obſervationes & experimenta noſtra. Quae diſquiſitio, quo magis ſpectat ad noſtrum argumentum, eo quoque accuratius examinanda eſt. Quando nimirum lens cryſtallina anatomica arte praeparatur & eiuſdem capſula integra circa lentem ſervatur, tunc quidem iſta non diſſolvitur, tamen eius volumen imminuitur. Quod ſi vero capſula ſeparata fuerit, lens vel tota vel ex parte defluit. Expertus ſum idem in lente

---

(*a*) l. c. p. 184. & *Halleri* bibl. chirurg. II. 74.
(*b*) *Richters chirurgiſche Bibliothek* I. 4. 128. ſeqq.
(*c*) C. E. *Eſchenbach* Obſervata anat. chir. med. Roſtochii 1769. 8. p. 38.
(*) *Henkel* l. c.

humana, equi, bovis, cuniculi leporis, anſeris & aliarum beſtiarum. Idem extractio probat, qua facta, ſi lens ex capſula eximitur, corpus cryſtallinum, ſi non fuerit nimis durum, diſſolvitur, quod unicuique notum eſt, qui eiuſmodi operationibus ſpectator interfuit. Videtur enim lentis figura & forma ab ipſius ſede ſolum pendere. Obſervationes doctiſſimorum virorum adhuc plura oſtendunt. Sic cataractam depreſſam vel in oculo omnino evanuiſſe, vel ſaltem eius volumen imminutum eſſe, obſervarunt *Deidier* (*a*), *Henkel* (*b*), *Ianin*, *Acrel* & *Richter*. Idem teſtatur *Boerhaave*, qui (de morbis oculorum p. m. 158.) dicit: *depreſſa hac ratione cryſtallina lens ſenſim adcreſcit uveae inferiori & tandem mole minuitur, quemadmodum extra corpus, ſi in aliquo liquore contineatur, mirifice minui deprehenditur*, Commemorat *Ianin* exemplum depreſſae atque iterum erectae lentis, cuius volumen ita imminutum erat, ut ſponte per pupillam in cameram anteriorem prolaberetur (*c*). Offert

(*a*) Conſultations & obſervations par *Ant. Deidier* Paris 1754. 12. cf. *Halleri* biblioth. chirurgica II. 16.

(*b*) l. c.

(*c*) Refert *Ianin* hiſtoriam cataractae, quae ter depreſſa aſcendit in cameram anteriorem, qua aperta minor vulgari lenti apparuit. Iournal de Medecine Tom. XXXIV, 1770. & l. c. p. 267.

Acrel ſectionem cadaveris hominis, in quo olim ſuffuſio demiſſa erat & humor cryſtallinus penitus diſſolutus fuerat & evanuerat (*a*). Neque ab eiuſmodi obſervationibus abhorret Cel. *Richter* (*b*). Confirmantur denique iſtae obſervationes experimentis noſtris; quae in animalium brutorum cadaveribus inſtituimus.

Immiſimus in lagenam vitream formae rotundae, quae bulbi oculi figuram imitaretur & forſan unam unciam fluidi cuiuslibet caperet, lentem capſula denudatam ita, ut inferiorem lagenae locum occuparet, cui humorem vitreum ſuperfudimus, lagenae vero orificium veſica humida ſuilla clauſimus. Vidimus poſt duos dies vitri interventu lentem in quatuor partes diſruptam, & cum poſt quinque vel ſex dies ipſam ex lagena parua emiſiſſemus, ſpumae vel glutinis mollis adinſtar facile in aquam immiſſa diſſolvebatur. Repetiimus haecce experimenta ſaepius atque eadem ſemper obſervavimus. Alia experimenta ita inſtitui, ut in capite mactatae ovis lentis depreſſionem ſuſciperem, & poſt aliquot dies lentis naturam examinarem. Diſſecui nimirum poſt quinque dies oculum, atque reperi lentem cryſtalli-

(*a*) l. c. I. p. 109.
(*b*) *Chirurgiſche Bibliothek* I, 4. 13. ſeq.

nam diſruptam atque circum circa emollitam; in medio vero haeſit nucleus, qui non facile ſolvebatur, quamvis ipſum aeri exponerem. Repetii & haec pluries & idem ſemper inveni. Sed alio tempore in alio mactatae ovis oculo demiſi cum lente acum, eumque demum poſt duas ſeptimanas diſſecui atque tum lentem quidem diſſolutam, ſed reliquas partes iam putredine corruptas deprehendi. Denique in cuniculo vivo, cui oculus ſanus erat, depreſſionem adminiſtravi. Sed experimentum ob motum animalis perpetuum non bene proceſſit; deprimitur enim lens ſana multo difficilius, quam quae ſuffuſione corrupta eſt, & accedit dein etiam a laeſione gravis & inſignis inflammatio, quae in animali haud tolli poteſt & qua animal iuſto nimis excruciatur. Quapropter ab hiſce experimentis ulterius capiendis abſtinui. Lubenter in oculis e. g. equorum, qui ſaepe ſuffuſione laborant, ſimilia inſtituiſſem experimenta, at cum mihi talis opportunitas nunc non contingerit, illa experimenta, aeque ac ea, quae cum diverſis liquoribus alcalinis, ſaponaceis & aliis fluidis tentari poſſent, in aliud tempus differo.

Sed de inſtrumentis quoque dicendum eſt, quae a chirurgis ad depreſſionem idonea iudicantur. Sunt nimirum acus, quibus haec curatio ſuſcipitur & forma & materia diverſae.

Alii rotundis ſubulatis (*) utuntur, alii planis (**) & attenuatis, alii acutioribus, alii obtuſioribus. Aliae ex auro vel argento formantur, aliae ex calybe fiunt. Quas optimas cenſeamus mox declarabimus, ſi prius praecipuas earum diverſitates indicaverimus. Scripſerunt de hiſce inſtrumentis *Salmon* (*a*), *Garengeot* (*b*), *Heiſter* (*c*), *Heuermann* (*d*), *Henkel* (*e*), *Perret* (*f*), *Brambilla* (*g*), & alii (***).

Bartiſch commendat acum rotundam ſubulatam ex argento confectam, apice inauratam, globo rotundo & manubriolo inſtructam (*h*).

Hildanus proponit quoque acum rotundam ſubulatam & ſcamnum, in quod ſuffuſione laborantem dum curationem adminiſtraret, ſedere voluit (*i*).

(*) *Guil. Cowper* anatomy of hum. bodies.
(**) *St. Yves* l. c. p. 224.
(*a*) Synopſis medicinae London. 1681. 8.
(*b*) Nouveav Traite des inſtrumens de Chirurgie les plus utiles. Paris 1727. 12. T. I. ad p. 433.
(*c*) Inſtitut. chirurg. p. m. 579.
(*d*) *Abhandl. der vornehmſten chirurgiſchen Operationen. Copenh. und. Leipz.* 1754. 8. *V. II. p.* 585.
(*e*) l. c.
(*f*) L' art du Coutelier -- par M. *Perret* Paris 1772. p. 359. ſeq. Tab. 116.
(*g*) Inſtrumentarium chirurgicum Viennenſe Tab. X.
(***) *Schacher & Iaeſchke* l. c.
(*h*) l. c. p. 64.
(*i*) Cent. IV. p. m. 297.

Briſſeau acus eſt lata atque ſulcata; mucrone latiore atque acuto & globulo inſtructa, ne nimis profunde in oculum deſcendat, habet ſcapum paululum compreſſum atque in marginibus rotundiorem (*). Commendatur ab *Heiſtero* (*a*), *Günz* (*b*), & *Plenk* (*c*).

Solingeni & Nuckii acus ad perforandas oculi tunicas & ſuffuſionem curandam ab *Heiſtero* expictae ſunt (*d*).

Bern. Albini acus cuſpidem planam & obtuſiorem habet (*e*).

Ferreni acus plana in breve acumen deſinit, globulo vel eminentia in utroque latere conſpicua, ne nimis profunde in oculum decidat, inſtruitur atque habet manubriolum ſatis longum, octangulare, ſigno notatum (*f*).

Petiti obtuſior eſt (*g*).

(*) l. c. T. I. Fig. 2. p. 202. ſeq. & *Perret* l. c. Tab. 116. f. 5.
(*a*) Inſtit. chirurg. p. m. 575.
(*b*) l. c. p. 50.
(*c*) De morbis oculorum. Viennae 8. 1777. p. 150.
(*d*) Inſtit. chirurg. Tab. XVII. 7. 8.
(*e*) *Bern. Albini* & *L. D. Gosky* Diſſ. de cataracta Ffti ad Viadr. 1695. 4. Fig. F. & *Halleri* diſſertationes chirurgicae II. 47. & *Heiſter* l. c. Tab. XVII. 9. 10. 11.
(*f*) *Henkel* l. c. I. Fig. 1. & 19.
(*g*) *Henkel* l. c. I. Fig. 9.

Taylor utebatur, teſte *I. Z. Platnero*, acu, quae cum illa convenit, quam *Sharp* depinxit (*a*).

Invenit *Palucci* quoque ad depreſſionem cataractae duo inſtrumenta, quae tamen non ita conſtructa ſunt, ut promeruerint laudem doctorum in arte chirurgica magiſtrorum. Invenit nimirum ſiphonem cum acu abſcondita & anniſus eſt inprimis acum ita collocare in vagina aliqua, ut poſſet punctione facta reduci in ipſam, ne laederet partes oculi internas & in reliquis, quae facienda ſupererant, vagina uſus eſt. Perpauci autem & fortaſſe nemo praeter inventorem haec inſtrumenta in uſum vocarunt (*b*).

Pottii acum, cum nullibi depictam viderim, ſecundum exemplar, quod mihi ad manus eſt & quod ex Anglia apportavi, mihi deſcribendam ſumo. Habet manubriolum octangulare quatuor pollicum, tribus punctis albis eburneis in eo latere notatum, in cuius anteriori parte cuſpis eſt paululum elevata. Acus vero ipſius, quae chalybea eſt, longitudo eſt pollicum duorum, & qua partem poſteriorem rotunda eſt,

(*a*) l. c. Tab. X.
(*b*) cf. *Heuermann* l. c. II. p. 586.

qua anteriorem vero in cuſpidem excurrit, cuius una acies omnino plana eſt, altera vero ex duabus iterum componitur, quarum quaelibet lineas duas lata eſt. Vidi ipſe plus una vice, *Pottium* cum hacce acu ſuffuſionem curaſſe.

Una ex recentiſſimis eſt *Mohrenheimii* acus argentea, conica, ſubulato rotunda, quae cum illis, quibus olim utebantur oculorum medici maxime convenit (*a*). Vidi ipſum ope huius acus dextre ſuffuſionem demittentem. Propoſuit loco cochlearis Davieliani hamulum, quem ad tunicarum portiunculas removendas vel extrahendas adhibet, de cuius vel commodis vel incommodis *Richter* legendus eſt (*b*).

Sunt fortaſſe adhuc plures, quas, cum non magnopere fuerint celebratae, conſulto & ſciens omitto. Intereſt enim potius, quae ex iis, quas recenſui, optima ſit, ſcire. Anteponerem ſemper eas, quae ex chalybe fiunt, aureis & argenteis, quas, quamvis aerugine non obducantur, nimis molles iudicaverim. Laeviganda eſt vero ſemper acus chalybea, priuſquam oculo admoveatur, traiecta per pannum denſum, ne ſuperfices ipſius aſpera ſit. Rotundis, licet egregie perforent tunicam ſcleroticam, tamen non

(*a*) l. c. Tab. I. Fig. 1. & 2.
(*b*) *Chirurgiſche Bibliothek V.* 720.

uterer, quoniam capſulam non bene ſcindunt; acutas reiicerem, quia facillime partes internas laedunt. Optima acus, teſte *I. Z. Platnero*, qui tamen aureas caeteris anteponit (*a*), iſta eſt, cuius mucro paululum tenuatus, latior, non vero nimis acutus eſt (*b*). Eligerem mihi ad curationem eapropter talem, quae haberet mucronem tenuatum latiorem, cuius margo inferior acutus, ſuperior vero obtuſior eſſet, cum inferiori ſcinderem lentis velamentum, dum obtuſior defenderet reliquas partes a laeſione. Ad figendum oculum non ita multis ferramentis ut, ſpeculis e. ſ. p. in hac, quam commendamus operatione opus eſt. Vel enim ſolo digito, qui cantho oculi, interno opponitur, oculus ſatis firmatur, vel nullo omnino adminiculo indiget chirurgus, qui habet manum ſtabilem.

Supereſt, ut breviter de ipſa per ferramenta curandi ratione dicam. Suſciperem ſane, quod fortaſſe plures autumabunt, poſt *Pareum* (*c*), *Heiſter* (*d*), *Platner* (*e*) & *Günz* (*f*) &

(*a*) Inſtit. chirurg. p. 896.
(*b*) Ibid.
(*c*) cf. *Vffenbachii* theſ. p. 356.
(*d*) Inſtit. chirurg.
(*e*) l. c.
(*f*) Diſſ. cit.

alios (*a*) inutilem laborem, ſi longus in explicanda huius curationis adminiſtratione eſſem, at cum mihi propoſuerim, modo breviter praecipua deſcribere & quae recentioribus temporibus ſunt prolata & obſervata adiicere, excuſationis alicuius locum me habiturum eſſe ſpero. Sunt autem in illa curatione alia, quae antequam eam ſuſcipias fieri debent, alia, quae in ipſa eius adminiſtratione attendenda, alia denique, quae poſt illam curanda ſunt. Maturitatem cataractae, quam dicunt, expectare, neceſſe non eſt, cum mollior ſuffuſio ſaepe melius deprimatur vel diſſolvatur, quam quae iam nimis dura eſt & cum velamento concrevit. Admonitiones aliquas poſtulat illud praeparandi aegrum conſilium, quod alii prorſus repudiant, alii vero commendant, iubentes, ut corpus purgetur clyſmate evacuetur & totum lavetur, pediluvia adhibeantur & aegro munditiei cura commendetur. Occupat etiam medentium animos aegri aetas, ſexus, humorum conditio eiuſque vitae genus. Saepe enim mul-

(*a*) cf. ſcriptores, quos pag. 4. laudavimus. Pater in inſtit. p. 302. *Wahlbohm* in actis ſuecicis ad annum 1757. qui *Yveſii* methodum ſequitur, *Olof Acrel*, qui ſecundum *Ferren* curat. *Chandler* in a treatiſe on the diſeaſes of the Yye and their remedies &c. London 1780. 8. *Henkel* l. c. I. §. 14. -- 24. & plures alii.

to felicius in ſene deprimitur lens cryſtallina; quam in iuvene, atque ſolliciti chirurgi ſemper fluxum menſtruum, fluxum haemorrhoidalem, plethoram, acrimoniam quamlibet, & opificii genus, quod tractat aeger reſpicientes, oculum, qui a manu curam poſtulat, non prius curare annituntur, quam fluxus ſanguineus quilibet deſederit vel plethora in corpore praevalens fracta fuerit, vel ipſi acres humores temperatiores effecerint, vel de aegri genere vitae poſt curationem cogitaverint. In adminiſtratione ipſa temporis faciendae curationis, ſitus aegri & inſtrumentorum delectus habendus eſt. Vernale & autumnale reliquis plerumque anni temporibus anteponunt, attamen quodcunque tempus mihi convenire videtur, ſi modo aegrum in tali cubiculo curare poteris, quod nec nimis frigidum, nec nimiis ſolis aeſtibus expoſitum eſt. Debebis porro talem eligere diem, qui ſit ſerenus neque caliginoſus, ita, ut poſſis acus progreſſum & iter in oculo ipſo perſpicere; tamen neque ante meridiem, meridianus ſol, neque poſt meridiem occidens ſol in oculum aegrotantem irruat. Sedeat aeger in ſedili dimiſſiori, in altiori autem medicus ocularius & ita, ut lux non ex adverſo, ſed a latere in oculum incidat. Habeat miniſtros duos, alium, qui caput teneat & alium, qui inſtrumenta porrigat. Inter inſtru-

menta mihi, ut iam innui, inprimis *Briſſavii* & *Pottii* acus placent; ſed priorem Pottianae etiam praeferrem. Praeter acum vero ad manus habeat chirurgus & illa inſtrumenta, quae ad extrahendi artificium ſunt idonea, ut ſi illud factu neceſſarium iudicetur, ſtatim praeſto ſint, & lintea ad deligationem apta. Quibus bene compoſitis ad curationem ipſam accedat chirurgus. Obtegatur oculus alter, in quo nulla nunc curatio peragenda, ſive ſanus fuerit, ſive ſuffuſione & ipſe affectus, linteo duplicato, perfricetur oculus curationi mox ſubiiciendus, ut venae oculi eo melius appareant, quas laedere iuſto plus noxium foret, admoneatque aegrum chirurgus, ut dirigat oculum verſus naſum; mox teneat oculum aegrotantem inter pollicem & digitum indicem manus ſiniſtrae, ne oculus moveatur vel utatur oculi ſpecillo, quo tamen inſtrumento carere poteſt quilibet chirurgus, qui manu firma gaudet. Tum manu dextra apprehendat acum inſtructam manubrio ſigno aliquo diſtincto, ut prouti inverterit acum, exterius conſpiciat & immittat ipſam paulo infra medium oculum, loco duabus & dimidia linea a cornea diſtante (*a*),

---

(*a*) *Petit* ll. cc. *Pouſſe* & *Gentil* l. c. *Olof Acrel* l. c. I. 114. *Günz* l. c. p. 51. *Ianin*. ap. *le Blanc* l. c.

ducat eandem ex ſuperioribus verſus poſteriora & inferiora lentis, ut poſſit capſulam lentis poſterius aperire, qua aperta demittat lentem obſcuratam verſus inferiora humoris vitrei ita, ut anterior lentis facies ad interiora, poſterior autem ad ſuperiora ſpectet, tandem educat acum ex oculi camera poſteriori, commiſſis oculi palpebris lente & circumſpecte. Si autem ſuffuſio in varias particulas diviſa fuerit, ſingula particula deducatur (*a*); vel ſi ſuffuſio omnino mollis fuerit, capſula anterius aperiatur ita, ut turbida in anteriorem cameram defluat, in qua vel ſua ſponte vel adhibitis medicaminibus plerumque ita diſſolvitur, ut nullum omnino remaneat impuritatis veſtigium. Si reaſcenderit depreſſa lens denuo curatio adminiſtranda eſt, donec fixa humori vitreo inhaeſerit. Curari ſiniſter oculus dextra manu, dexter ſiniſtra debet.

Manuum artificio ſic peracto, convenit ſcire, qui ſitus aegro conducat, quae ſint evitanda, quae deligatio inſtituenda & quoties ea repetenda. Oculo nimirum linamenta, medicamento, quod inflammationem coercet, tincta, imponenda ſunt, quae quavis quarta vel tertia hora, ſi ſicca evaſerint, iterum madefacienda

(*a*) *Olof Acrel* l. c. I. p. 125.

ſunt, ne comprimant oculum, & ſuper haec datur pannus conduplicatus & faſcia circularis, quae capitis velamini affigenda neque nimis arcte conſtringenda eſt. Inter medicamina, quae oculis applicari poſſunt varia ab *Olof Acrel* (*a*), *Platnero* (*b*) & *Mohrenheimio* (*c*), enumerantur. Septimo poſt curationis adminiſtrationem die, reſolvenda eſt faſcia in loco obſcuro, & ſimulac aegrotus animadverterit tenebras, ſperandum eſt, curationem ex voto ſucceſſiſſe; quapropter tunc luci exponi poterit ſenſim oculus, ita tamen, ut plures radii ab oculo removeantur charta viridi, quae capitis velamini ſuperne affigenda eſt. Situs inprimis conveniens poſt operationem ille erit, quo aeger in lecto erecto capite, tanquam ſederet, tranquillus tenetur. Inter ea, quae vitanda ſunt, pertinet hoc, ut caveatur, ne aeger tuſſiat, rideat, ſternutet, vomat vel ob cibum duriorem maxillam inferiorem nimis frequenter moveat, quae omnia efficere poſſent, ut depreſſa lens denuo erigeretur. Quapropter curet medicus priuſquam curationem adminiſtret, ne ſuffuſione qui laborat, morbo afficiatur catarrhali, & ut aër, in quo vivit, purus & quie-

(*a*) l. c. I. 117.
(*b*) l. c. p. 897.
(*c*) cf. p. 8.

tus ſit. Emetica omnia evitentur; ut & ea, quae membranam ſchneiderianam poſſent irritare; immo propinentur antemetica, ut, laudanum liquidum cum oleo amygdalarum dulci e. ſ. p.

Sed ſub finem huius proluſionis exponendum eſt, utrum in omni ſuffuſione depreſſio locum habeat, an interdum extrahendi artificium quoque conveniat & a nobis commendatae curandi methodo praeferendum ſit. Sunt nimirum alia ſuffuſionis genera, in quibus lentem deprimere convenit, alia, in quibus cataractam extrahere neceſſe eſt, & examinandi ſunt aegri ſedulo, priuſquam curandi methodum elegeris (*a*). Oportet autem deprimere lentem inprimis, ubi camera oculi anteriòr nimis anguſta eſt (*b*), ubi pupilla parva, & coarctata, ubi cornea nimis laxa aut nimis rigida eſt, ubi ſuffuſio mollis eſt, ubi oculus profunde in orbita deliteſcit, neque protuberat. In hiſce enim caſibus multum detrimenti, ſi lentem extrahere conareris, metuendum eſſet. Simili ratione praeferatur depreſſio extractioni tunc, ubi aeger aliqua humorum acrimonia detinetur. Namque ſi iis, qui vel acri-

(*a*) *Ianin* ap. *le Blanc* l. c.
(*b*) *Richters chirurgiſche Bibliothek* ſeqq. *V*. 717.

monia podagrica, vel ſcrophuloſa vel ſiphilitica laborant, lens ex bulbo extrahitur, facile cataractae ſecundariae atque diuturnae inflammationes ſuperveniunt (*a*), quae omnem turbant viſum neque partes diſciſſae illico conſolidantur. Sic nec convenit cataractam extrahere iis, qui vina copioſius bibunt, qui dentes carioſos habent, (!) qui cephalalgiis, ophthalmiis, lippitudinibus, eryſipelate, hyſteria, convulſionibus &c. detinentur. Tales ob cauſſas plures aegros viſu privatos vidi. Sic in viro ſexaginta circiter annorum, cui una lens extracta, altera in altero depreſſa erat, ille oculus, qui lentis extractione curatus fuerat, adhuc lacrymabat, atque inflammatione, quamvis exigua, vexabatur, cum e contrario oculus, in quo lens depreſſa fuerat, neque lacrymas funderet neque inflammatus eſſet. Saepe etiam, ſi ſuffuſio ex bulbo oculi educitur, humores maligni ad oculum feruntur. Eſt enim, uti notum eſt, haec materiae podagricae & fere cuiuslibet morborum cauſſae indoles & natura, ut tranſmigret quaſi ex una ſede in alteram. Sic igitur accidere poteſt, ut talis acrimonia feratur ad lentis velamentum, uveam, retinam vel aliam oculi partem, unde mydriaſes,

---

(*a*) *Gendron* l. c. Tom. II. p. 274. ſeqq.

inflammationes, amauroſes hypopya & alia eiuſmodi mala oriuntur. Aliorum oculi tam ſunt irritabiles, ut vix poſſis eos afflare, quin oriatur inflammatio, cuius generis exemplum ſupra retulimus (*a*). In tali caſu quoque melius eſt, lentem deprimere, quam extrahere. In aliis hominibus tanta ſanguinis copia deprehenditur, ut neque venaeſectionibus, neque diaeta minui poſſit, e quo genere plura vidimus exempla. Et in tali caſu deprimendi artificium, ei, quo lens extrahitur, praeferatur.

At enim vero nollem de quocunque ſuffuſionis genere affirmare, depreſſionem extractioni ſemper eſſe anteponendam. Nonnunquam enim extrahendi artificium optime ſuccedit & in illis imprimis aegris: qui nulla acrimonia, nulla idioſyncraſia irritabili neque nimia laborant plethora, in iſtis, quibus eſt cornea elatior, mollis neque tamen laxa, camera anterior ſpatioſa, pupilla magna, oculus protuberans, bono cum ſucceſſu extrahendi artificium adhibetur. Intereſt itaque multum ſcire, quibus in caſibus depoſitio lentis inſtituenda & quibus aegris extractione viſus ſervandus eſt.

Quae cum ita ſint, vellem quemlibet chirurgum in utraque methodo exerceri ita, ut,

(*a*) p. 10. Idem notat *Ianin* ap. *le Blanc* l. c.

prouti diverſitas ipſius ſuffuſionis & reliquarum conditionum poſtulaverit, val hac vel illa uti poſſet. Hoc enim certiſſime mihi perſuaſum habeo, ſymptomata, quae depreſſionem ſubſequuntur mitiora eſſe iis, quae a lente extracta oriuntur. Et conſcripſimus hanc brevem diſſertatiunculam eum modo in finem, ut referremus, quid de utraque hac curandi methodo & inprimis de depreſſione iudicandum ſit, utque chirurgiae dediti priſcam curandi rationem adhiberent eamque denuo diſcerent. In quolibet enim oculo extrahendi artificio uti, cum anatomicis obſervationibus & ſectionibus, tum experientiae adverſaretur. De chirurgia manuali enim in univerſum valet, quo plures methodos chirurgus cognoverit & in uſum convertere didicerit, eo felicius eum in adminiſtrando munere ſuo poſſe verſari. Singulis enim morbis atque curandi modis apparatum accommodare, methodum idoneam eligere & ipſam, ſi neceſſe eſt varie mutare, chirurgi exercitati atque ingenioſi eſt. Neque enim quaevis chirurgia eadem ratione effici poteſt.

Sed haec quidem hactenus, ne iuſto longiores ſimus. Nunc enim progrediendum eſt ad ea; quae mihi huius ſpeciminis ſcribendi occaſionem praebuerunt. Monet autem me officium, ut id, cuius cauſſa haec ſcripta ſunt exequar, iubetque pietas. Quum enim nuper Serenissimo

Principi Electori Friderico Augusto, Domino meo indulgentiſſimo eiuſque amicis pro ſumma, quam veneramur clementia placuerit, ut Medicinae Profeſſoris munus extra ordinem mihi in hac Univerſitate demandaretur, pro clementiſſimo hoc beneficio decentiſſimae iam agendae ſunt gratiae.

Quapropter peragam, quod pietas praecipit atque, uti a maioribus inſtitutum eſt d. XXII. Febr. novum munus ſolemni oratione auſpicabor.

Quem diem meum, ut praeſentiae ſuae beneficio ornare velint Rector academiae magnificus Principes celsissimi illustrissimi Comites utriusque Reipublicae Proceres generosissimi atque nobilissimi commilitones ea qua par eſt, obſervantia rogo. P. P. Dom. Septuag. A. R. S. cIↃIↃCCLXXXIII.

ARNOLDI WIENHOLT

BREMA-SAXONIS

DISSERTATIO

DE

INFLAMMATIONIBUS VISCERUM

HYPOCHONDRIACORUM OCCULTIS IN FEBRIBUS BILIOSIS PUTRIDIS.

GOTTINGAE 1772.

§. I.

INflammationem occultam tunc adeſſe dico, cum ex ſignis eſſentialibus quibus ſe manifeſtare ſolet, unum aut plura, aut omnia deficiant, vel ſi haec ita obſcura ſint, ut pro alio vitio potius quam pro inflammatione haberes. Tales inflammationes revera dari, poſt accuratiſſimas ſummorum virorum, *Morgagni*, *Swietenii*, *Pringlii* (*a*), *Haenii*, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur. Interea non inutilem ope-

(*a*) the Diſeaſes of the army. edit. noviſs. a clar. *Brande* german. edit. p. 182.

ram me ſuſcepturum eſſe iudico, ſi quaſdam de iſtorum obſervationibus in praeſenti repetam, forte & alias addam, tum ad probabiliora reddenda tum ad confirmanda, quae poſtea de inflammationibus occultis in febribus bilioſo-putridis dicenda habeo.

Febris ergo ab omnibus quidem, ut eſſentiale inflammationis ſignum conſideratur; & tamen non una exſtat obſervatio, quae docet, omnia reliqua inflammationis ſigna adfuiſſe, & graviſſimam poſt mortem viſceris cuiuſdam inflammationem inventam eſſe, licet medicus per totum morbi decurſum nullam febrem animadvertere potuerit. Ex *Simſone* allegat *v. Swieten* (*a*), locum in quo abſque febre ſe fixos ventriculi & inteſtinorum dolores ab inflammatione oriundos ut & pleuritides ſpurias obſervaſſe teſtatur, quae antiphlogiſticis tantum debellandae erant. Similem obſervationem *ill. Schroederus* de viro mihi narravit, qui acuto & vehementi dolore in regione diaphragmatis cruciabatur, & aliis inflammati huius muſculi ſymptomatibus afficiebatur, in cuius cadavere ſummam poſt mortem diaphragmatis inflammationem inveniebat, quanquam nec pulſum febrilem, nec ca-

---

(*a*) Commentar. T. I. §. 371.

lorem auctum animadvertere potuerit. Similem caſum deſcribit *Cl. Roſa* (*a*), de graviſſima inteſtinorum inflammatione, in cadavere inventa, quae quanquam acutiſſimo dolore aegrum affeciſſet, tamen nec pulſum auctum, nec ullos febriles motus concitavit (*).

Aliud inflammationis ſymptoma, quod omnes fere comitatur, & pleriſque proprium eſſe videtur, eſt *dolor* fixus cum aeſtu coniunctus; diverſus ſecundum varias, quas inflammatio obſidet partes, qui & eam ob cauſſam ad praecipua & eſſentialia inflammationis ſigna pertinet, quia praecipue nos ducit ad ſuſpicandum alicubi

---

(*a*) A. N. C. Vol. 8. Obſerv. 47.

(*) *Febrem*, inflammationis comitem, continuam acutamque plerumque requirit BOERHAVE, Aphoriſm. 371. pluresque alii. Quodſi per *febrem*, pulſus frequentiam intelligamus, in qua tamen illius naturam non agnoſcimus, certum eſt, omnino permultas inflammationes ſine *febre* incedere, & pulſu potius debili, nec frequentiori, nec duro comitari. Ipſe SWIETENIUS Pleuritidem ſpuriam, epidemicam obſervavit, qua, per plures menſes, *abſque omni febre*, continuabat, niſi mox venae ſectio inſtitueretur & methodus adhiberetur antiphlogiſtica. *Commentar.* T. I. §. 371. Poſt magnas *contuſiones* & laeſiones ſclopeto illatas, toties magna & in gangraenam mox abitura inflammatio adeſt, quin pulſus periculo ſua frequentia reſpondeat. Sed haec ulterius ex infra dicendis patebunt.

inflammationem. Plura tamen exempla collegit, ſuiſque obſervationibus auxit, *Ill. de Haen* (*a*), quae ſatis probant, in graviſſimis inflammationibus, & quidem talibus, ubi acutiſſimus alias adeſſe ſolet, dolorem prorſus defuiſſe. Pluries ſe vidiſſe ait herniam incarceratam abſque doloris ſenſu, quanquam vomitus, tumor inguinalis, inflammata & gangraenoſa inteſtina in cadavere deprehenſa, ſatis morbi naturam indicarent. Sic *Morgagnus* (*b*), poſtquam exempla quaedam graviſſimae enteritidis abſque ullo dolore aegrum trucidantis adduxerat, *nec*, inquit, *quando aut vehementem dolorem aut acutam febrem abeſſe aut vix eſſe invenies, continuo putabis, aut levem adeſſe, aut nullam inflammationem:* id quod idem *Valſalvae*, *Riverii* & *Albertini* teſtimonio confirmat (*).

(*a*) Ration. med. P. XIV. cap. de dolore & inflammatione membranarum.

(*b*) De ſedib. & cauſſ. morb. Ep. 29. n. 15.

(*) Inſignes fixoſque, cum aeſtu & anxietate *dolores* ventriculi & hypochondriorum ſaepiſſime in *gaſtricis febribus* a ſola *ſaburra* obſervavi, ita ut nec attactum digiti nec ipſa lecti ſtragula perferrent aegroti, quin *inflammatio* ulla adfuerit: eademque fuit cl. MERTENS *de febr. putrid. P. I.* aliorumque repetita, nec HIPPOCRATI negata, obſervatio. Saepe vero contrarium obtinet & ſine ullo *dolorum* ſigno graviſſimae & lethales

Tertium quod in omnibus inflammationibus viſcerum adeſt, & quod ab iis non ſeparari poſſe videtur, eſt *functionis ipſius perturbatio*.

---

omnino *inflammationes* in viſceribus latent: & in hoc demonſtrando utiliſſime verſatur praeſens Diſſertatio. Omenti, meſenterii, & peritonaei inflammationes ſine praegreſſo dolore plures adducit ill. LIEUTAUD, *Hiſtor. anat. Med.* §. I. Obſ. 229. Pleurae, ſine lateris dolore inflammationes, peripneumonias, quod communiſſimum eſt, ſine pectoris, acuto ſaltem, dolore, exempla copioſa refert MORGAGNUS, *de ſed. & cauſſ. morb.* Ep. XVI. n. 30. 40. Ep. XX. n. 51. 52. 56. 57. Ep. XLV. n. 16. In dextro cerebri Haemiſphaerio viri, qui vix de aliquo capitis dolore quondam conqueſtus fuerat, tam magnum abſceſſum obſervavit PORTAL, ut ovo gallinaceo recipiendo fuerit capax. *Hiſtoire de l'Académie Roy. des Sciences année* 1780. p. 324. Similem obſervationem propriam in praecedentibus tradidi. Quanti non abſque ullo pectoris dolore *phthiſici*, magnis licet pulmonum ulceribus praediti, e vita, de illorum integritate ſibi gratulantes, ſecedunt! Dolores etiam pectoris in uno latere ſummos, punctorios, neque tamen cum eiuſdem loci phlogoſi coniunctos fuiſſe, cum interim in alia & *indolente* pectoris parte, ſumma lateret inflammatio, plura exempla proſtant. Aegrotum, vidit ill. SARCONE, qui attactum lateris in pleuritide dolentis perferre non potuit: cum tamen aperto cadavere, non niſi pulmones, neque tamen in loco dolori correſpondente, erant inflammati. *Hiſtor. morb. Neapol. ann.* 1764. *graſſat.* §. 131. -- 141. Atque ob ſimilem eventum, quondam in Regia Galliae *Delphinâ*, quae

Cum enim inflammato viſcere, parenchyma ſanguine multum oppleatur, nervi variis modis laceſſantur, vaſa ſecretoria praecludantur, non aliter fieri poteſt, quin omnium ſecretionum contingat perturbatio, & functionum laeſio. Verum & hic aliquando experientia contrarium docuit. Talis obſervatio exſtat apud *Ill. de Haen* (*a*), ubi tertio ante mortem die ad mortem uſque omnes functiones ventriculi exercere poterat aegrotus, edebat, bibebat, optimum appetitum oſtendebat, poſt mortem autem valde inflammatus & gangraenoſus inveniebatur ventriculus. Aliam obſervationum (*b*), idem vir egregius habet de ventriculo inflammato & gangraenoſo, qui ad mortem uſque optime officio ſuo fungebatur, adeo ut veſperi ante obitum, ius ſuum egregie ſibi ſapuiſſe aeger adfirmaret (*).

dum ad *Hepar* doleret, cum pulmones eſſent affecti, erroneam morbi diagnoſin inſtituerat a morte demum correctam, ill. TRONCHIN. PORTAL l. c. p. 326.

(*a*) Rat. med. T. IX. p. 24.

(*b*) Rat. med. T. VI. p. 258.

(*) Idem vir, cuius hiſtoriam ſupra exhibui, p. 90. 91. & qui magna cerebri ſuppuratione diu laboraverat, nullum omnino vel *delirii*, vel *ſtuporis* ſignum prodidit. Alium aegrotum anno 1766. in patria mea tractavi, qui cum ex altiſſimis

§. II.

Plures adhuc obſervationes producere poſſem, quae ſatis docerent, ita in omnibus viſce-

---

rupibus in profundam vallem cecidiſſet, atque ad diverſos rupium angulos capite allidens, non ſolum dimidiae calvariae tegumenta ad aurem uſque ſuper iugulum dependentia, ſed & cranium, ſic denudatum, in ſeptem partes diffractum, habuiſſet, per *octo* tamen dies ſibi ſemper fuerat praeſentiſſimus, donec *nono* tandem, delirio paulo ante mortem affectus, mortem obivit.

Sed & alia inflammationis conſueta ſigna deeſſe poſſe, inflammatione licet magna praeſente, hic breviter ſubiungam. *Febris*, *dolor*, *functionis laeſio*, quae hucuſque conſideravimus, dein *calor*, *rubor*, *tenſio*, *tumor*, *pulſatio*, praecipua inflammationis phoenomena ſiſtunt. Haec quidem ſi externis partibus contingant, dubium de ipſarum *phlogoſi* relinquere non poſſunt, aſt internis inflammationibus ſaepe deeſſe vel ſaltem in illis non obſervari, plane conſtat. Ex *calore* maiori externo, ad *profundas* partium *inflammationes* ſaepe ſecure ſatis concludunt *Chirurgi*; aſt quot non *inciſarum* ab iis partium exſtant exempla, in quibus nulla puris veſtigia ſcalpello detecta fuerunt! Puellam decem annorum *Bruchſaliae* in Orphanotrophio obſervavi & eiuſdem dein Sectionem publice inſtitui: dolores inſignes miſera ad crus dextrum diu perpeſſa erat, qui pro *arthriticis* habiti, nec ullis inflammationis latentis ſignis coniuncti fuerunt. Os femoris a ſuo cum tibia articulo uſque ad collum fere corroſum & ex parte liquatum ſectione detexi. *Rubor* partium, ubi de

rum inflammationibus notas eſſentiales defuiſſe, niſi prolixior foret tractatio. Magis id fini meo reſpondet, ut morbos quoſdam in medium producam, quibus ſaepius ſe adiungere ſolent inflammationes, quae vero ſignis ſuis vel omnino deſtitutae ſint, vel adeo clam obrepant, ut propter morbum ipſum negligantur, nec non eiuſmodi, ubi ſymptomata inflammationis cum iis, quae morbum comitantur, ita congruant, ut ſi tantum ad ſolita phlogoſeos ſigna attendas, vix illam adeſſe tibi perſuaderes.

Praecipue vero hic referri meretur febris ſic dicta lenta nervoſa, a veteribus, forte, *Hippocrate*, *Aretaeo*, *Celſo*, iam deſcripta, recentiorum autem praeſertim Anglorum induſtria, *Lan-*

internis inflammationibus ſermo eſt, in conſiderationem venire non poteſt; neque *tenſionem*, *tumorem*, ſymptomata maioris fiduciae eſſe, ex eorumdem communitate cum aliis morbis, eluceſcit. Neque *pulſationis* in loco affecto, maior eſt ſemper auctoritas, cum & in *cephalalgia* & in *doloribus dentium*, abſque inflammatione, vehementiſſimae ſaepe pulſationes ſint; &, ſi in *phlegmone* hae ſemper obſerventur, non tamen *Eryſipelaceis inflammationibus*, cuius naturae, *internae* viſcerum *phlogoſes* tam ſaepe eſſe ſolent, propriae ideo obſerventur; atque in ipſa quoque *externa* chronicaque oculorum inflammatione deſiderari ſoleant.

griſhii, *Manninghami*, *Homii* & praeſertim ſummi *Huxhami* magis illuſtrata, & a reliquis febrium generibus rite diſtincta. In hiſce febribus ſaepe occurrit inflammatio cerebri, plerumque clam incedens, omnibus fere phlogoſeos ſignis deſtituta, & cognitu difficillima. Accuratiſſime cum hac febre convenit, quam ſub hecticae febris nomine deſcribit *Williſius* (*a*), de qua dicit: *ita poſt mortem ſanguine cerebrum turguiſſe, quaſi tota eius maſſa hic congeſta eſſet: membranas cerebri inſigniter ſanguine extravaſato ſuffuſas & colore atro purpureo inſignitas fuiſſe* licet nulla adeſſent ſigna, ex quibus tam diram inflammationem aliquis ſuſpicari potuiſſet. Idem de hiſce febribus *cel. Home* plurimis locis confirmat: Non una vice vidit cerebrum & cerebellum ſanguine, vel pure impleta: verum per totum morbum levis tantum aderat capitis dolor, mitiſſima febris, nec ulla ſymptomata inflammati cerebri (*b*). Inflammationem cerebri, quam in ſemetipſo animadvertebat Vir cl. (*c*) cum febre lenta nervoſa laboraret, non niſi ex ſenſu quodam proprio, & analogia morbi cum aliis coniiciebat, & de veritate huius coniecturae ex antiphlogi-

(*a*) De morbis convulſ. c. 8.
(*b*) Medic. facts and experim. P. I. S. I. c. I.
(*c*) Ibid. P. II. S. XVII. p. 196. ſeq.

ſticorum optimo effectu, & excretione multi puris poſt finitum morbum certior demum factus eſt (*).

Sic in catarrhis pulmonum ſaepe inflammatio huius viſceris adeſt. Teſtimonia ſummorum virorum, praeſertim *Pringlii* (a) & *Tiſſoti* (b), vomicae quae toties poſt catarrhos remanent, ſanguis ex vena miſſus, qui tunc temporis ſae-

(*) Quam inique caput a Medicis accuſatum fuerit, cum in aliis plane viſceribus cauſſa mali lateret, ex hiſtoria *Phrenitidis* abunde patet, in qua vel rariſſime caput ipſum idiopatico affectu laborare, docuit quamplurimis argumentis ill. SCHROEDERUS, *de indole ac ſede phrenitidis & paraphrenitidis*, Goettingae 1765.: ita ut nulla omnino inflammationis in utroque morbo ſigna ſaepiſſime defuerint, cum tamen a morte, cerebri ſubſtantia inveniretur integerrima. Certe a *contagio* in ſyſtema nervoſum potentius agente, & a *ſaburra* nervos gaſtricos irritante, quamplurimae *phrenitides*. Quare iam CAELIUS AURELIANUS: „ Aliqui *cerebrum* pati dixerunt, alii eius fundum, ſive baſin, — alii membranas, alii & cerebrum & eius membranas, — alii diaphragma, — *Nos* igitur *communiter totum corpus* pati accipimus, etenim totum febre iactatur ". Lib. I. Cap. VIII. Merentur quoque ſummam attentionem, quae ill. STOLL *de ſede phrenitidis* tradidit. *Ratio medendi T.* 3.

(a) the Diſeaſes of the army. ed. germ. cl. *Brande* p. 194.

(b) Avis au peuple T. I. §. 125.

penumero denſo corio pleuritico obtectus, ſimulque admodum ſpumoſus invenitur, levis pectoris oppreſſio, ſpiritus brevis, anxietas, reſpiratio, ſi erecti ſedent, minus difficilis, ſatis id probant. Verum nonnunquam ita mitia ſunt haec ſymptomata, ut vix ad ea aeger attendat, nec Medicus inflammationem certe ſuſpicaretur, niſi ad morbi naturam, & conſtitutionem aegri ſimul reſpiceret, & accuratiſſime in ſigna modo adducta inquireret. Simili modo cum haemoptyſi comparatum eſt, ubi etiam nonnunquam, omnia inflammationis pectoris ſigna adſunt, pectoris oppreſſio, difficilis decubitus in uno vel altero latere, dolores leves gravativi, ſaepe ſimul punctorii, ſanguis phlogoſin prodens. Saepe vero ita clam incedunt haec ſymptomata, ut, niſi ad omnia attendas, occulta tibi manſura ſit inflammatio, quam tamen revera adfuiſſe eventus ſaepe docebit (*).

(*) Interim omnis medicorum fere cohors ſemper in eo verſatur, ut quamprimum id fieri poſſit, quocunque modo, ſanguinis ſputa, tum gelidae potu multo, tum adſtringentibus remediis, ſupprimat. Quodſi aliarum haemorrhagiarum rationes conſiderem: evidens ſaepiſſime eſt earundem mox primis initiis ſuppreſſarum damnum, & cum ſemper aliqua viſceris ſanguinem fundentis ſubeſſe

Nonne hic quoque, quae in puerperio ſaepenumero evenit, uteri inflammatio referenda? quae ſolita ſigna, dolorem in regione pubis &

ſoleat praeternaturalis repletio, patet, cur toties inflammatio eiuſmodi praematura conamina ſubſequatur. Verum eſt, a venaeſectione revulſoria, ſuppreſſi fluxus aliquando poſſe praecaveri effectus; aſt vero, ſaepe vaſa viſceris affecti infarcta, non niſi topica ſanguinis miſſione poſſunt depleri, & licet magnum ſit periculum, ne natura ipſa hanc evacuationem ex pulmonibus ita ſuſcipiat, ut futura mala praegreſſis non fiant peiora; vereor tamen ne, dum in hoc opere incaute nimis illa turbatur, longe maiora in pulmonibus damna inſequantur. Noverunt chirurgi, quod ſi poſt vulnera inflicta ſanguinem pauliſper effluere ſinant, longe minor eorundem inflammatio futura ſit. Idem vero & in leviore *haemoptyſi* contingere credo, ſi non tam ex violenta vaſorum pulmonalium laeſione, quam ex lento ſanguinis in iiſdem decubitu & plethora locali ortum duxerit. Notum eſt, in pleuritide & leviori pulmonum inflammatione, *ſtrias ſanguineas* in ſputis apparentes, benignum ſaepe, inceptae reſolutionis ſignum eſſe: quam adhibitâ mox venaeſectione cum evidenti noxa ſupprimeremus: eadem vero & in chronicis quandoque ſanguinis ex pulmone reiectionibus obtinent, & niſi tales ſint, ut ex ſanguinis erumpentis copia periculum inſtare poſſit; magna prudentiâ medica opus eſt, ne in ſupprimendo ſanguinis fluxu operoſiores ſimus, & inflammationis lentae in pulmonibus ſic geneſin promoveamus.

lumborum, inflationem abdominis, ſtimulum ad urinam & alvum, mictum difficilem cet. ſaepenumero non comites habet, ſed ex lochiorum ſuppreſſione, febre maiori, perturbatione ſyſtematis nervoſi, oculorum mutatione, imminuta hilaritate animi, eiuſdemque abiectione ſuſpicanda eſt (*).

(*) In *uteri* a puerperio *inflammationibus*, ob ſtructuram eius ſpongioſam & vaſculoſam, ſitum viſceris ſingularem, mutationeſque in eo contingentes varias, febris adeo vel nulla eſt vel parva admodum obſervatur, atque haec inflammatio lento & clandeſtino gradu ſaepe procedens, ſolo tantum genarum & faciei rubore, vaga phlogoſi, & aliqua tantum verſus veſperam exacerbatione, cum pulſu aliquomodo celeriore ſeſe manifeſtat. MATH. GATTENHOF, *inflammationis ratio*; *Heidelb.* 1773. p. 5. KIESLING, *de utero poſt partum inflammato*; p. 37. ROEDERER, *de non damnando perforatorii ob capitis paragomphoſin uſu*; *Obſ. IV.* Saepe ob praegreſſos ad partum dolores vehementiſſimos, atque obſtetricum in extrahendo foetu labores improbos, aut ob nimiam quoque, tum a foetu maiore, tum ab aquis copioſioribus, *uteri extenſionem*, *atonia* huius viſceris inducitur, quam utplurimum quidem haemorrhagiae lethales inſequuntur; multoties vero, ſi haec non ſuccedant, ab effuſo in ſpongioſam viſceris ſubſtantiam ſanguine, & a quadam nervorum uterinorum paralyſi, *clandeſtina* inducitur *inflammatio* vix febrem productura, ſed pauco tempore, inſequente mox gangraenâ, in mortem ipſam, vix cogitante de periculo medico, terminanda.

§. III.

Nunc mihi via patet ad illas ipſas viſcerum hypochondriacorum inflammationes conſiderandas, quae in febribus bilioſo putridis eveniunt. Non neceſſe eſt, ut fuſius notionem explicem, quae cum hocce febrium genere coniungi debet. Neminem fugit, tunc praeſertim hoc nomen febri convenire, ſi a ſordibus varii generis, praeſertim bilioſis, in primis viis & viſceribus hypochondriacis haerentibus accenſa fuerit, & putrida ſimul, quae adeſt diatheſis, ab hacce colluvie ſola dependeat. Hae febres, quae apud *Baglivium* meſentericarum, & apud *Ballonium* gaſtricarum nomine veniunt, varias quidem formas induere poſſunt, unde & ab illis autoribus, qui febres ſecundum ſymptomata dividunt, variis nominibus inſigniuntur, & modo febris catarrhalis maligna, modo ardens, modo petechialis, modo leypiria & ſic porro audiunt (*a*); ſed in eo tamen omnes hae febres conveniunt, quod ſemper colluvies in primis viis haerens princeps febris, & ſymptomatum febrilium ſit

---

(*a*) Confer. *Tiſſot* de febr. lauſan. edit. Ien. 1770. p. 15. *Bagliv.* opera cap. de febr. meſenter. *Brendel* Diſſertat. de paraphren. & febr. malignar. cognatione.

cauſſa. Hoc febrium genus plurimis aliis febribus complicatum eſſe poteſt. Saepe nimirum accedunt vel putredo maſſae humorum, vel perturbationes ſyſtematis nervoſi, haud oriundae a ſordibus circa praecordia congeſtis (*); haud

(*) Quid ſibi velit haec exceptio, minus patet, neque veri quid ineſſe poteſt. Perturbationes ſyſtematis nervoſi in febribus gaſtricis ſaepenumero a ſordibus circa praecordia collectis originem ducere, quotidiana certe experientia docet: cum ſaepe unico vel vomitorio, vel evacuante remedio mox cedant ſymptomata morbi, quorum, a genere nervoſo ſumme affecto, natura, *malignitatem* ſummam febri ineſſe aut impoſuiſſet, aut morbo revera conciliaſſet. Saepe a ſolo emetico omnia *malignitatis* ſymptomata, quae certe in ſyſtematis nervoſi perturbationibus conſiſtunt, paucis horis diſparere teſtatur SYDENHAM, Oper. omn. Sect. I. c. IV. & ſummi practici fatentur. Quam funeſta non a commeſtis mytulis, fungis ſuſpectis, ab aſſumpto veneno, in toto nervorum ſyſtemate phoenomena! Atqui ſaburram in praecordiis collectam eoſdem plane effectus edere, ex hiſtoria *cholerae* patet, quam vix venenum mediocre produceret; producit autem bilis, aeſtivis caloribus & victûs, praecipue animalis, erroribus, acrior reddita. Sed, ne his diutius, quam par eſt, immorer; fatebor, utplurimas tamen *putridas-nervoſas* aut a *contagio* eſſe, aut ſaltem a ſubtiliori *miaſmate*, in genus nervoſum agente, dependere; quam ut ex primis viis originem eius derivares. Utplurimum enim *epidemice* graſſantur hae febres, atque cauſſas longe maiores illis, quae a pauciſſimis, in rebus ſic dictis ſex non naturalibus committantur, ſibi requirunt.

raro etiam ſimul adeſſe deprehenditur diatheſis illa ſanguinis, quae ſub phlogiſticae nomine venit (*a*): ita ut nunc ad putridas ſanguineas, nunc ad nervoſas, nunc vero ſimul ad inflammatorias, illa de qua hic loquimur febris pertineat.

(*a*) Talis indolis videtur fuiſſe febris quam *Kloeckhofius* in hiſtoria febris Culenburg. 1741. deſcribit, & *Tiſſot* in epiſtola ad Ill. *Zimmerm.* ſur l' epidemie courante; & *Pringlius* l. c. p. 200. ſub nomine febrium autumnal.

(*) Frequentiſſima certe inflammationis cum gaſtricis morbis combinatio verno praecipue & hiemali tempore exiſtit, atque in hoc videtur vera *ardentis febris*, quae & Καῦσος veteribus dicebatur, natura conſiſtere, cuius praecipuum characterem nihil aliud, niſi febrim bilioſam cum diatheſi inflammatoria fuiſſe, patet. Certe & ill. QUARINUS, ſymptomata febris ardentis enarrans, ſaepe quoque de amaritie oris, nauſea loquitur: ex quo patet, celeberrimum hunc Medicum ſaepe etiam febrim *bilioſo-inflammatoriam* pro *Cauſo* habuiſſe. *De curandis febribus & inflammationibus commentatio*; *p.* 25. 29. HIPPOCRATES evidenter, febrim fuiſſe ex inflammatoria & bilioſa combinatam, teſtatur; *de morb. lib. I. Sect.* 27. copioſam talem obſervavit GRANT; *Obſervations on fevers*; atque mihi, dum in *Rhenanis* Provinciis praxin medicam exercerem multoties obvenit.

§. IV.

Saepenumero nulla ſymptomata inflammationis in hiſce febribus obſervata, nec ulla eius poſt mortem in cadaveribus deprehenſa ſunt veſtigia (*a*). Non raro autem ſymptomatice accedunt (*b*), & tunc nonnunquam ſolitis ſignis ſe

---

(*a*) Conf. *Tiſſot* febr. lauſ. p. 21. ubi & alios, qui idem affirmant, laudat.

(*b*) Abſque ratione Illuſtr. *Ludwigius* inflammationes in febribus putridis obvenientes e numero inflammationum eximere annititur. Vid. Adverſ. med. vol. I. p. I. p. 52. Ad veram inflammationem requirit ſanguinem denſum per minimas arterias non niſi aucta vi cordis urgendum, ideoque ſtaſin ex ſanguine reſoluto putrido in vaſa minima pulſo, & a debilitate vaſorum, & ſpaſmo per acrimoniam inducto, pendentem, qualem in febribus putridis ſemper contingere autumat, non inter inflammationes referendam eſſe exiſtimat. Verum nonne haec definitio nimis arbitraria eſt? Num ita iam conſtituta eſt vera inflammationis indoles & cauſſa proxima, ut certo dicere poſſimus, quid & in febribus putridis & non putridis inflammationem producat? Num iam extra omne dubium poſitum eſt, in inflammatione cum febre non putrida coniuncta, ſemper adeſſe ſanguinem denſiorem? num verum eſt, nunquam hic inflammationem, irritamento ſpaſmos faciente, produci? Num omnes illae inflammationes quas, *v. d. Boſch*, *Sarcone* & alii deſcribunt, & quas cortice Peruviano tollebant, eam ob cauſſam non in-

produnt ; ſaepius autem ita clam incedunt , ut medicum niſi ad omnia attendat , graviſſima licet & mox lethalia ſymptomata inducentes facillime fugiant . Tales autem viſcerum hypochondriacorum phlogoſes ſaepe hiſce febribus ſe adiungere , deſcriptiones earum , ſectiones cadaverum , & natura illius magmatis primas vias obturantis , ſatis probant . Ita in Diario medico *cl. Vandermonde* (*a*) a *cl. Moucet* febris deſcribitur , quae omnes characteres putridae bilioſae habebat : Sapor amarus, nauſea, vomitus bilioſus , aeruginoſus , foetor oris , alvi fluxus , qui morbi vehementiam debilitabat , & optimus ſucceſſus evacuantium , ſatis indolem bilioſam probabant , & in tribus cadaveribus a Viro cl. inciſis, pleraque viſcera abdominalia inflammata & ſphacelata inveniebantur . Aliam epidemiam in eodem Diario (*b*) *cl. Darlue* deſcribit , quam febrem bilioſo-putridam fuiſſe , ex diſſoluto ſanguine , fluxu alvi bilioſo , aeruginoſo , vomitu eiuſdem materiae , urina cruda , cet. ſatis con-

---

ter inflammationes numerandae ſunt , quia cum febre putrida coniunctae erant , cum tamen in omnibus reliquis ſymptomatibus ut inflammationes vere tales ſe manifeſtarent ?

(*a*) Iournal de medecine , T. XI. p. *61*.

(*b*) Recueil Periodique . T. VI. p. *69*.

ſtabat. Sectiones vero cadaverum, eodem clar. Viro teſte, perſpicue monſtrabant, omnes quos e medio ſuſtulerat morbus, ob inflammationem viſcerum mortuos fuiſſe. *Spigelius* de febre ſemitertiana, quae ut plurimum eiuſdem cum illa, quam modo deſcripſimus, indolis erat, idem plurimis locis confirmat (*a*). *Quoties*, uno loco inquit, *mecum repeto, quae in diſſectionibus mortuorum a ſemitertiana & in curatione febrium tertianarum obſervavi, toties nil aliud potui agnoſcere, quam putredines in vaſis conſtitiſſe. Erant enim in diſſectis cadaveribus inflammationes ex ſanguine knilioſo & pituitoſo factae, circa iecoris partem concavam, in ventriculo, meſenterio, inteſtinis, liene*. Idem de febre flava Americanorum, the yellow fever, *cl. Lind* (*b*) afferit. Dicit nempe: *Upon opening the body, we find the ſtomach and liver, and adjoining parts full of livid blackish, mortified, ſpots, and ſometimes gangrenes*. Denique & *F. Hoffmannus* in febre petechiali, quam in Medicin. ration. ſyſtemat. (*c*), & in alia febre, quam in propria

---

(*a*) De febre Semitertiana. L. II. c. 19.

(*b*) Eſſay on the diſeaſes incidental to europeans in hot climates.

(*c*) Medicina ration. ſyſtem. T. IV. P. I. S. I. c. II.

Diſſ. (*a*) deſcripſit, (utraque vero vitioſae in primis viis colluviei ſigna prae ſe ferebat), poſt mortem ſtaſes inflammatorias ac ſphaceloſas ſe inveniſſe teſtatur. Plures aliae obſervationes, quae idem confirmant apud *Bonnetum*, *Lieutaud*, & in Diario medico & apud alios autores occurrunt, quorum nonnullos adhuc adducere, ulterior huius materiae pertractatio mihi occaſionem dabit.

§. V.

Nec eſt quod miremur, toties hic inflammationes viſcerum evenire, cum tot adſint cauſſae, quae eas producendi occaſionem praebere poſſint. Sanguis acris & diſſolutus, qui eo facilius in vaſa minora & celluloſam adigitur, cum viſcerum hic adſit laxitas e putredine orta (*b*), unde ſanguini irruenti minus reſiſtunt, ſaepe quoque adſit diatheſis illa phlogiſtica ſanguinis, quae illum ad inflammationes propenſiorem facit. Hiſce accedit cauſſa illa, quae toties ſola phlogoſes viſcerum accendit: nempe acre, corruptum, atque bilioſum magma, irritans, ſpaſmos

(*a*) Diſſ. de febre maligna, Halae 1699. graſſante, in Supplem., ad opera T. II. P. II. p. 60.
(*b*) Conf. *Pringle* l. c. p. 502.

inducens & maiorem ſanguinis cumulum alliciens. Inde collegium Medicorum Rothomagenſium in epidemia illa, quam *cl. Malouin* (*a*) deſcribit, iubebat, ut quamprimum acris illa materia e primis viis educatur, & inflammatio viſcerum, quam frequenter poſt mortem obſervabant, impediatur. Idem confirmat *v. Swieten* (*b*), *ubi bilis acrior facta eſt mora vel per calorem aeris aeſtivi ad putredinem vergere incipit, & vicinum hepar peſſime afficere poteſt. Hinc poſt aeſtates fervidiſſimas autumnali tempore oriuntur febres bilioſae, hepatitidem ſaepe comitem habentes*. Praecipue vero audiamus de hac re diſſerentem *Valcarenghium* (*c*) ita inquientem: *Si tertianae febres a furentis bilis variis tumultibus derivantur, magna ex parte praeſto eſt ratio, propter quam luctuoſae hae inflammationes in lypiria huic febri accedunt. Bilis haec tenax partim hepatis colatoriis ductibus, partim cyſtidi felleae, partem inteſtinorum parietibus & rugis, atque ipſi ventriculo adhaerens, membranaceas fi-*

(*a*) Mem. de l' Acad. des ſciences de Paris 1753. p. 56.

(*b*) Commentar. T. III. p. 96.

(*c*) Medic. rational. S. I. c. 3. §. 52. confer. & eiuſd. egreg. viri contin. epid. crem. Sect. II. c. 2. §. 32.

brillas corrugat, atque in fortes corrugationes cogit, eas fortiter irritando, quare paeſto eſt canalium conſtrictio, & ſanguinis impeditus motus, eiuſdem concretio, & affectarum partium inflammatio. Hiſce cauſſis plures aliae ſaepe ſe adſociare poſſunt, quae reliquas in ſtaſibus inflammatoriis producendis adiuvent. Quoties enim, quaeſo, non contingit, ſalubres diarrhoeas, & vomitus adſtringentibus aut ſimilibus cohiberi, & irritantem materiam retineri, diaeta vero & regimine, calefacientibus, & medicamentis ſudoriferis novum igni oleum addi? Quoties emeticis fortioribus, vel intempeſtive datis, colluvies acris, tenax, minuſque involuta prolicitur, unde magis irritantur fibrae, viſcera in fortiores contractiones coguntur, & inflammatio producitur?

§. VI.

Reliquum eſt, ut probem, inflammationes, quas ſaepe hiſce febribus ſe adiungere dixi, occulte evenire. Difficillimum eſſe, ſymptomata colluviei bilioſae ab iis, quae accedente inflammatione contingunt, diſtinguere, facile, puto, quotus quiſque mihi largietur, qui conſideret, plurima utriuſque affectionis phoenomena inter ſe convenire. Verum & id probare annitar, ſigna inflammationibus propria, vel prorſus hic, de-

fuiſſe, vel leviſſima fuiſſe, quanquam graviſſima inflammatio adſuerit. Ut vero eo melius hic procedamus, & qua in re occulta harum inflammationum natura conſiſtat, tanto clarius perſpiciamus, praecipuas inflammationes hic obvenientes ſpeciatim contemplemur, ſigna eorum eſſentialia cum iis ſymptomatibus, quae in febribus hiſce veras inflammationes comites habentibus, contigerunt, comparemus oportet: tunc enim ſponte ſua patebit, num ab iis ad praeſentiam inflammationum concludere licitum ſit: ſigna denique quaedam adducemus, ex quibus inflammationes adeſſe, probabiliter ſaltem colligere liceat.

§. VII.

Omnium, quae febribus putridis bilioſis ſe adiungere ſolent, inflammationum frequentiſſima eſt, & maximam attentionem meretur, illa, quae in hepate exiſtit. *Galenus* (*a*), *Foreſtus* (*b*), *Riverius*, *Sennertus*, & praeſertim *Bianchius* (*c*), & *Valcarenghius* (*d*), principes facile illi in morbis hepaticis autores, illam hepatis inflam-

(*a*) De locis affect. L. V. c. 7.
(*b*) Obſervat. L. 19.
(*c*) Hiſtor. hepatic. P. III. p. 340.
(*d*) Continuat epidem. Crem. S. II. c. 2. §. 40.

mationem, quae in parte convexa contingit, ab illa, quae in parte concava, diſtinguunt, & hanc diviſionem propria experientia confirmant (*a*). Illa, quae in parte gibba evenit inflammatio, ſecundum horum virorum obſervationes, praeſertim ſe manifeſtat tuſſi ſicca, & dolore acuto tenſivo, qui per ſingulas reſpirationes creſcit, immo ſaepe ad iugulum uſque aſſurgit. Febris vehementior, pulſus durus atque fortis eſt, & tumor inflammationem prodit, niſi haec ſub coſtis ſpuriis lateat (*). Illa e contrario, quae par-

(*a*) Vid. *Boerhav.* eiuſque commentator v. *Swieten commentar.* T. III. §. 915. qui exiſtimant quoque, inter illam hepatitidem, quae cum magno & tenſivo dolore, & illam quae cum parvo & gravativo tantum coniuncta eſt, diſtinguendum eſſe. Verum illam quam veteres in parte concava ponebant, in ramulis venae portarum ſedere, & illam partis gibbae in ramis arteriarum hepaticarum. Verum haec opinio nonniſi hypothetica eſſe videtur, quae nulla vera obſervatione nititur, & plurimis ſimul dubiis obnoxia eſt, cum e contrario illa veterum diviſio magis experientia fundata ſit, ſectionibuſque cadaverum confirmetur, quin & cum diverſis ſymptomatibus optime conveniat.

(*) Dolorem acutiſſimum in *hepatitide pleuritica*, cum pulſu vix 79. ictus minuto primo habente, comitatum obſervavi: interim & ſano quondam Homini pulſus erant tardiores. Tumorem, quamvis adſit, ſaepe in carnoſis admodum corporibus,

tem concavam afficit inflammatio, dolore potius exiguo, gravativo, & ab aegroto ſaepe non percipiendo, niſi tangatur pars affecta, ſe manifeſtat: (*a*) minus turbatur reſpiratio, magis urgent ventriculi & inteſtinorum affectiones, nauſea, vomitus, inappetentia, cet. Rarior accedit in illis, de quibus hic loquimur, febribus bilioſis putridis inflammatio partis gibbae hepatis,

---

vel quae iam hydrope laborare incipiant, vel ſi ille, vel ad *poſticam* & ſuperiorem ſub diaphragmate, aut ad inferiorem & dorſalem ſub coſtis latentem partem haereat, non ſenties. Si adfectum hepar neque coſtis, neque peritonaeo adhaereat, neque, ob maximam ſtaſim, praeter modum turgeat, ideoque, vi ponderis, diaphragma ſecum haud trahat: fruſtra, monente iam ill. VALCARENGHI, in inflammationibus eiuſdem, dolores uſque ad humerum & iugulum diſtendi expectabimus; quamvis nervorum varii decurſus, & praecipue *diaphragmatici* & *ſympathici magni ex cervicali medullâ* origo, tum *dolores* illos ad claviculam & humerum, tum vero *torporem brachii dextri* ab ill. HOME obſervatum, alias ſat facile excitent. Apparet ergo neque in hoc morbo adeo claram ſemper inflammationis notitiam exiſtere, ut non ſaepius, ubi de ea non cogitatur, poſſit adeſſe.

(*a*) *Valcarenghi* l. c. S. 2. c. 2. §. 34. *Bianchi* hiſtoria hepat. P. III. p. 340. v. *Swieten* commentar. T. III. §. 918. *F. Hoffmann* Diſſ. de morbis ex hepate oriundis §. 17. & *de hepatis inflammatione vera rariſſima, ſpuria frequentiſſima.*

frequentior autem illa, quae in parte concava eiuſdem ſedem figit, ut unanimi fere conſenſu teſtantur auctores, qui febrium epidemicarum deſcriptiones reliquerunt. Ita nempe *Brendelius* (*a*) ſe in cadaveribus paraphrenitide & febribus malignis mortuis, inflammationes potiſſimum in parte hepatis concava inveniſſe teſtatur. *Spigelius* (*b*) in multis, qui ſemitertiana occubuerunt, inteſtina inflammata vidit cum parte iecoris concava. *Cl. Boucherus* (*c*) in deſcriptione febris putridae bilioſae, *viſcera*, inquit, *inflammata & gangraenoſa erant, hepar, praecipue vero eius pars concava*, cet. In febre flava Americanorum *cl. Lind.* (*d*) hepar hac parte gangraenoſum & putridum obſervavit: *reſembling an honey comb*. Nec mirum in hac parte hepatis potiſſimum inflammationem accidere, cum haec, acris illius materiae, quae turbas inflammatorias producit, ſit ſedes. Quodſi igitur inflammatio hepatis hiſce febribus accedit, ac in parte concava potiſſimum occurrit; minus facile

(*a*) Diſſert. de paraphr. & febr. malign. cognat. p. 4.
(*b*) Tr. de ſemitertiana L. II. c. 16.
(*c*) Journal de Medecine T. X. p. 455.
(*d*) Eſſay on diſeaſes incidental to europeans in hot climates p. 89.

a Medico deprehendi poterit. Pleraque enim ſymptomata, quibus ſe indicat, acri quoque ſaburra biliosa producuntur, uti nauſea, vomitus, appetitûs defectus, reliq. Icterus, quem nonnulli putant cum hepatis inflammatione coniunctum eſſe, ſaepius hic abeſſe poteſt, ſecundum optimorum autorum obſervationes, & ſaepenumero a multis aliis cauſſis in hiſce febribus originem trahit (*a*). Nihilo magis inflammationem hanc produnt febris & pulſus, quae in inflammatione huius partis hepatis non multum creſcere ſolent, nec dolor ille parvus & gravativus. Plerumque enim inflammationes viſcerum hypochondriacorum, praeſertim hepatis, caput obnubilare, mentem abalienare & varias ſyſtematis nervoſi perturbationes producere ſolent, unde nec quaeruntur aegri, etiamſi dolorem aliquem ſentiant (*b*). Sectiones cadaverum idem confirmant, in febribus

---

(*a*) Conf. v. *Swieten Comment.* T. III. §. 918. *Valcarengh.* l. c. & alii.

(*b*) Veteres iam obſervaverunt, hanc ſaepenumero cauſſam eſſe: quare dolores acutos in hiſce febribus non animadvertant aegri. Sic *Aetius* L. V. c. 129. de inflammation. & ſuppurat. iuxta os occygis, ait: *Inflammantur & exulcerantur ſaepe hae partes in febribus malignis, ſed in his mens quoque violata eſt, ut neque dolorem percipiant, neque ad ardorem attendant.*

de quibus loquor tales hepatis inflammationes exſtitiſſe, quanquam nullus dolor ipſas proderet (*a*).

§. VIII.

Prius vero, quam ad ſigna veniamus, e quibus, num inflammatio hepatis adſit, nec ne, probabiliter diiudicari poſſit, in inflammationes ventriculi & inteſtinorum, quae non raro hic accidunt, inquiramus, & quomodo occultae dici poſſint, oſtendamus. Inflammationes horum viſcerum, quae alias ſatis manifeſtis ſignis ſe prodere ſolent, in hiſce febribus haud facile cognoſci, & cum ſignis colluviei bilioſae commutari poſſe, improbabile forſan non nemini videri poſſit. At vero rem extra omne dubium ponit experientia, quae characteres, quibus ſe ab omnibus aliis imi ventris vitiis diſtinguunt, haud raro defuiſſe docet. Inter ſigna pathognomonica, quae has inflammationes comitari dicuntur, febris eſt cum pulſu magno & duro coniuncta, dolor in parte affecta fixus, urens, acutiſſimus, obſtructio alvi, nauſea, vomitus, tumor abdominis. De fe-

(*a*) Cl. *Lieutaud.* in Hiſtor. anat. med. L. 1. Obſ. 602. & 604. & L. 3. obſ. 270.

bre tamen haud inter omnes conſtat; cum non-nulli dicant, febrem in hiſce inflammationibus ſaepius mitem eſſe, cum pulſu parvo, debili (a). Quod ad dolores attinet, hos inter ſigna eſſentialia primo loco numerandos eſſe, nemo facile inficias ibit. Hi vero ſaepius in illis defuerunt, quanquam haec viſcera poſt mortem graviſſime inflammata, & ſphacelata apparuerint. Ita *Spigelius* (b) inteſtina tenuia, in febribus continuis ardentibus malignis, (quas, ſi viri clariſſ. deſcriptiones cum ſignis febris bilioſae putridae conferas, eiuſdem indolis fuiſſe, invenies) inflammata & ſphacelata, & ventriculum maculis lividis plurimis locis inſignitum deprehendit, etiamſi aegri de dolore non ſint conqueſti. Deſcribit

(a) *Glaſſ.* obſervat. de febr. comment. de ſanguinis detract. *Brendel* Diſſ. de febr. diviſ. p. 32.

(*) Pulſus in ventriculi & inteſtinorum inflammationibus ſaepe omnino & duritie & plenitudine caret, quae alias febribus inflammatoriis propria ſunt; utplurimum vero ſubdurus, contractus, frequens & parvus eſſe ſolet. Hanc pulſus conditionem ex eo derivat ill. WHYTT, quod, ob magnam *nervorum ventriculi*, cum illis *cordis*, ſympathiam, huius ita hic aucta ſit irritabilitas, ut contrahantur cordis ventriculi, antequam ſanguine venoſo hos alluente, repleti ſint. The Works of Robert WHYTT, p. 241.

(b) De febre ſemitert. L. I. c. 14. 16.

etiam *F. Hoffmannus* (*a*) febrem putridam gaſtricam, quam malignam vocat, in qua viſcera poſt mortem inflammata & ſphacelata vidit. Verum inter ſymptomata nullius doloris mentionem fecit. *Cl. Malouin* duas deſcribit epidemias febrium eiuſdem indolis, in quibus graviſſimas poſt mortem viſcerum inflammationes obſervavit. In deſcriptione unius, dolorem pectoris tantum, cum reſpiratione difficili & tuſſi commemorat, (*b*) in deſcriptione alterius, Rothomagenſis nempe, expreſſis verbis dicit, inflammatum & tenſum fuiſſe ventrem, verum nec a contactu doluiſſe (*c*). Attamen ſapienter medicorum colle-

---

(*a*) Diſſertat. de febre maligna 1699. in ſupplem.

(*b*) Memoires de l'acad. des ſciences de Paris 1753. p. 52.

(*c*) Ibid. p. 56. Eorum cauſſa, qui exiſtimare poſſent, has inflammationes vel ſtaſes potius a debilitate venarum ortas, & in agone productas eſſe, aliis argumentis omiſſis id tantum urgere mihi liceat, in hiſce cadaveribus, quae cl. *Malouin* ſecuit, ulcuſcula plura in inteſtinis conſpicua, & cruſta illa gelatinoſa inteſtina obtecta fuiſſe, quam ill. *Haenius* & alii egregii viri in inflammatis partibus poſt mortem ſaepe viderunt, *ils etoient*, dicit cl. *Malouin*, *parſemés des ulceres*, *& leur partie veloutée*, *etoit*, *fardue d' une eſpece de glaire*, quae ſatis manifeſte teſtantur, veris inflammationibus annumerandas eſſe, & diu iam ante mortem adfuiſſe.

(*) Ex ſummo dolore ventriculi ad inflammationem

gium praecepit, purgantia aegris propinari, quibus acris ſaburra educeretur & viſcerum inflammatio impediretur. Quid cauſſae fuerit, cur haec viſcera in illis febribus doloris eſſent expertia; pro certo affirmare equidem haud auſim. Veriſimillimum tamen mihi videtur, eandem hic ſubeſſe cauſſam, quam ſupra de inflammatione hepatis adduxi: ita nempe ſenſorium commune ab hiſce inflammationibus affici, ut non ulterius afficiant aegrum. Forte & id aliquando ita inſenſibilia

---

illius concludendum necdum eſſe, ſupra dictum eſt, ſed & recentiſſimo exemplo id in aegroto *Ticinenſi* obſervavi, qui, cum ex febre perniciosa emetica laborare videretur, atque, ob ingentes ventriculi dolores, nec minimam tum potus, tum medicamentorum copiam ſine mox inſequente vomitu, anxietate magna & intenſis cruciatibus, poſſet deglutire, mox ab omnibus his paucarum horarum tempore liberatus eſt, cum emplaſtrum veſicatorium ſtomachi regioni, donec ruberet, adplicari iuſſiſſem. Sed & mirae varietates in ſitu ventriculi, in uno eodemque homine, prout magis vel minus flatibus aut ingeſtis repletus eſt, obſervantur: ut & ex hac regione huius viſceris inflammatio facile occultetur, & *gaſtritis muſcularis* ſeu *deceptiva* SAUVAGESII, pro vera habeatur. Gaſtritidem quoque abſque vomitu deſcribit ill. HALLERUS, *Opuſcul. patholog. Obſ. XIV. Hiſt. III.* ſine ſignis praegreſſis conſuetis, inflammatum vidit ill. STOLL, *Rat. med. T. 3. p.* 383. 4.

viſcera facit, quod nempe tunc, cum inflammatio accedat, iam paralyſi perculſa ſint (*a*). Tanto magis probabilis redditur haec coniectura, cum in aliis quoque partibus ſaepe ſyderationes in hiſce febribus contingant, veluti in lingua, faucibus, ſphinctere ani & veſicae, quidni ergo etiam in inteſtinis? Sin autem minus placeat haec coniectura, lubenter confitemur, nos cauſſam huius phoenomeni, uti tot aliorum, quae in humano corpore contingunt, ignorare. Si ad reliqua ſigna reſpicias, quae in inflammationibus inteſtinorum & ventriculi obveniunt, ſunt nauſea, conatus vomendi, & ipſe vomitus. Verum, haec a bile abundante, acri, corrupta, etiam produci poſſe, nulla indiget probatione. Obſtipationis alvi, quae princeps harum inflammationum conſtituit ſignum, vel nulla in laudatis deſcriptionibus fit mentio, vel expreſſis verbis monetur, diarrhoeam largiorem adfuiſſe.

(*a*) Conſentit *Morgagnus* de ſedib. & cauſſ. morbor. epiſt. 29. n. 11., qui eandem cauſſam ſubfuiſſe putat, in graviſſima quadam, quam deſcribit, enteritide: quae etiam abſque ullo dolore lethalis evadebat.

§. IX.

Cum igitur ita occulte ſaepe hic inflammationes accidant, quaeſtio oritur, annon alia quaedam ſigna dentur, ex quibus, probabiliter illas adeſſe, nobis concludere liceat. Solebat optimus praeceptor b. *Schroederus*, in egregiis ſuis praelectionibus, talia adducere, quae, cum viri accuratiſſimi auctoritas maiorem fidem dictis meis ſit factura, cumque ego ipſe plurimis obſervationibus, unde haec ſigna abſtrahi debent, deſtituar, hic loci, una cum aliis, quae alio tempore ex ore ſummi viri hauſi, proferam. Quodſi itaque morbo longius iam durante ſymptomata acrius urgent, appetitus pertinaciter deficit, nec acidis nec lenibus catharticis ſe revocari ullo modo ſinit, vomitus etiam nullam affert levationem, ſique congeſtio ad caput, & ſymptomata quae inde eveniunt, poſt venaeſectionem, temperantia, evacuantia, cedere nolunt, ſi porro lingua ſimul fuſcam, lividam, nigram, aridamque induit ſuperficiem, ſi ſpiritus ſimul brevior & cum maiori anxietate trahitur (*a*), quam ſecundum cauſſas manifeſtas. & circum-

(*a*) *Valcarenghi med. rat.* S. I. c. 3. §. 78.

ſtantias trahi debeat, ſi denique ſingultus accedit, tunc omnino timenda erit viſcerum hypochondriacorum inflammatio. Praecipue vero hic ad hypochondria attendere oportet; aliquando enim, quamvis manifeſtus haud adſit dolor, aeſtum tamen & ſenſum quendam circa has partes iniucundum, moleſtum, gravativum, fixum tamen & non tranſeuntem, quem ipſi ſatis deſcribere nequeunt, aegri experiuntur. Interdum ipſi quidem de nullo eiuſmodi ſenſu conqueruntur, ſed ſi accurate inquiras, tunc demum hunc ſenſum moleſtiae tibi fatebuntur. Saepe vero omnem doloris ſenſum negantes imo ſibi circa haec loca bene eſſe dicentes, nihilominus hypochondria ſi tetigeris, aut ſono emiſſo, aut vultu, aut denique levi concuſſione corporis, doloris ſenſum quaendam produnt. Praeterea num dura, vel tenſa vel alio modo affecta ſint hypochondria, probe inveſtigandum. Ulterius vero has inflammationes adeſſe, varia affecti ſyſtematis nervoſi ſymptomata confirmant (*a*). Si hilaris

(*a*) Inde venire videtur, quod plures auctores malignitatem in inflammatione viſcerum poſuerint, ut *Valcarenghi* Med. rat. S. 3. c. 2. §. 305. *Bagliv.* Oper. L. I. c. 9. de febr. malign. & meſent. *Brendel.* Diſſ. de ſerior evacuant. uſu in febrib. malignis, & de cognatione paraphrenit. & febr. malignar. diverſis locis.

& ſerena ſit facies, ſi oculi haud immutati, non facile timenda eſt circa haec loca inflammatio. Si vero oculorum obtutus acris ſit atque intentus, ſi aegrotus quaſi cogitabundus, ad omnia inattentus, nihil eorum, quae coram ipſo fiunt, curat, & animo eſt abiecto, ſi praeterea plures affectiones ſpaſmodicae adſunt, tunc veriſimillima erit inflammatio (*a*). Si vero ſoporoſus aeger exiſtit, & admodum debillis, ſi pulſus parvus & inaequalis, ſi affectiones capitis & ſyſtematis nervoſi valde increſcunt, ſi denique nec audit, nec videt, necſuarum perceptionum ſibi conſcius eſt, tunc in gangraenam tranſire inflammationem, ſtatuendum eſt (*).

(*a*) Conferri hic inprimis meretur *Morgagnus* de ſed. & cauſſ. morb. Ep. 35. n. 21. *Pringle*, qui idem confirmat l. c. p. 182.

(*) Praeclara eſt haec ſignorum inflammationem ventriculi & inteſtinorum conſtituentium enumeratio; ſed niſi *Epidemicus morborum character* facem accendat, in multis caſibus errori locus eſt: cum vix unquam ſingula illa in uno aegroto collecta videas. In *Dyſenteria*, febre biliosa, toties obſervavi dolores ventriculi a minimo attactu intolerabiles, cum vomituritione perpetua, ardore regionis epigaſtricae & aliis ſignis inflammati ventriculi; haec tamen a porrecto emetico, & eiecta copioſa ſaburra bilioſa protinus ſedabantur; quae certe cum STOLLII obſervationibus egregie correſpondent. Ante paucos hos menſes ad Virginem *Ticinenſem* febre bilioſa & ſummo dolore cardialgico laborantem

§. X.

Quod curationem harum inflammationum attinet, Medicum peritum aegro hic ſuccurrere poſſe, nullum eſt dubium: verum & grave, auxilium ſi differatur aut minus opportunum adhibeatur, inſtat periculum. Hinc illa de hypochondriis tenſis, praevulſis, duris, dolentibus, cet. ſapientiſſima dicta Hippocratica. Ita vero procedendum hic eſſe opinor, ut primum blandis, lenibus purgantibus, acres illas & bilioſas ſordes, quae cauſſam harum inflammationum con-

---

pro conſilio vocatus, non dubitavi & nono quoque morbi die emeticum porrigere; quin dolorum atrocia, cum cauſſam noviſſem, abſterruiſſet. Emeticum vero, opii virtutem exſeruit, & eiecto hoſte, cardialgiam facile ſanavit. Attentionem merentur ſigna, ab ill. CULLENIO, ad dignoſcendam ſubinde praeſentem *gaſtritidem* praecipue *eryſipelaceam*, tradita. Eryſipelas ſc. aliquando ad oeſophagum ipſum diſpergitur, & tam in pharynge, quam in ipſa oris cavi ſuperficie, *rubore* ſuo adparet. Quodſi tunc maior adſit ventriculi ab acribus ſenſibilitas, frequenſque vomitus, non dubium erit de morbi natura. *Firſt lines of phyſici* §. 400. Tria eſſe potiſſimum ſigna, ex quibus veroſimiliter occultam inflammationem adeſſe, cognoſci queat, *linguam* nimirum *rubram*, *aridam*, *dolorem fixum in ventriculo*, *& pulſum celerem*, *durum*, teſtatur BODE, Diſſ. *de gaſtritide*; p. 8.

ſtituunt eaſque alunt, reſolvere atque imminuere annitamur. Huic ſcopo tinctura rhei mihi inprimis inſervire videtur: quae ſimul vim reſolventem & evacuantem habet & ſpaſmos ſopit potius, quam inducit; quacum acida & ſecundum varias indicationes, alia remedia coniungere vel ſeorſim propinare ut nitrum, camphoram, liquorem anodyn. min. H. & ſimilia, poſſumus. Externe optime emollientia cum diſcutientibus e. g. olea at unguenta emollientia cum camphora, cataplaſmata vel ſacculi ex flor. ſambuc. herba malvae, & ſimilia applicantur (*a*), quae ad ſpaſmodicas viſcerum affectiones tollendas, ſtricturas imminuendas, ſtaſes inflammatorias incipientes repellendas, egregie inſerviunt; quanquam modum, quo id faciunt, ignoremus. Simul nec negligendos eſſe duco clyſteres, qui balnei inſtar omnia inteſtina relaxant, ſtricturas e ſpaſmo ortas auferunt, & ad acres ſordes eliminandas multum conferunt. Venaeſectio a multis auctoribus hic diſſuadetur, utpote quae raro admodum bonum hic producere poſſit effectum, cum plerumque

---

(*a*) In febre leipyria cum intenſis hypochondriis laudat *Hippocrates* cataplaſmata ex ſemine lini & oleo, ſuper hypochondria imponenda. L. *de victu in morbis acut.* Confer. & *Valleſii* commentar. in hunc locum p. 554.

corpus ſit debilitatum, vires imminutae, pulſus debilior, multaeque tunc temporis adeſſe deprehendantur ſyſtematis nervorum perturbationes. Verum tamen iſtam non diſſuaderem, ſi non admodum immutata ſit craſis ſanguinis, ſi pulſus & vires non multum debilitatae, & reliqua venaeſectionis contraindicantia deficiant. Verum & hic ſummam cautionem neceſſariam eſſe, nec in larga quantitate mittendum eſſe ſanguinem, facile largior. Optimum auxilium hoc in caſu praecipue nobis promittunt veſicatoria. Credo equidem plurimis hoc remedium non arriſurum eſſe, qui *Tiſſoti* (*a*), *Valcarenghii* (*b*), *Bianchii* (*c*), & aliorum auctoritate, ſuaque forte propria experientia nixi, omnem veſicatoriorum uſum in febribus hiſce damnant. Verum non poſſum horum virorum experientiae adſtipulari, cum contra a ſummis in arte viris, *Hoffmanno* (*d*), *Pringlio*, *Huxhamo* (*e*), *Hillario*, *Monroo*, & pluribus aliis, tot laudibus ſecundum experientiam extollantur, iuſtis modo ſub cau-

(*a*) De febre bilioſa Lauſ. p. 50.
(*b*) Medic. rat. S. 3. c. 2.
(*c*) De morbis hepatic. p. 308.
(*d*) Diſſ. de veſicantium uſu.
(*e*) Oper. T. 2. p. 115.

tionibus applicata ? Quum enim tam potenter omnis generis inflammationes reſolvant, ut quotidiana experientia id ſatis confirmat, praecipuum quoque locum in febribus putridis gaſtricis tenebunt, ſi inflammationes viſcerum hypochondriacorum repellendae ſint. Accedit, quod plerumque, ſupervenientibus his inflammationibus, ſymptomata adeſſe deprehendantur, quae per ſe haec remedia deſiderant. Ita nempe uti iam dixi, tunc plures affectiones ſpaſmodicae hic adeſſe deprehenduntur, ſimulac extremorum refrigeratio, internorum calor, circulationis languor, & comatoſum quid adeſſe ſolet; quibus ſymptomatibus optime conducunt veſicatoria. Igitur ſi inflammmatio urgeat, &, ut modo praecepi, lenibus purgantibus, externis emollientibus & diſcutientibus cet. uſus iam fueris, & tamen inflammatoriae ſtaſes cedere nolint, duo veſicatoria ſuris applices; ſin ulterius urgeat, aut ſi ab initio cum acceſſerit, iam gravius affligat, tum ipſis hypochondriis imponas veſicatorium (*a*).

(*a*) In febre lenta nervoſa, in qua poſt mortem magnas corruptiones viſcerum imi ventris inveniebat cel. *Home*, ob dolores hypochondriorum veſicatorium loco dolenti impoſuit. *We applied*, inquit, *a bliſter to the part, which always removed the pain*. Medic. facts and experiments. P. 1. S. 1. p. 6.

Non facile errorem hic committes, ſi etiam nulla adeſſet viſceris alicuius, inflammatio, cum etiam ſpaſmos & ſtricturas viſcerum egregie tollant iſta (*a*), ſi alias cauſſae evidentiores antea remotae fuerint. Auctoritate & frequenti experientia *b. Schroederi* hoc remedium hic commendavi, qui ſaepius ſe abſque noxa, & felici cum ſucceſſu eodem uſum fuiſſe mihi teſtabatur. Ante unum menſem ſimilem caſum egomet ipſe obſervavi, quem breviter hic enarrabo. Femina annorum circiter quinquaginta, febre bilioſa putrida laborabat, & multum iam erat progreſſus morbus. Aderat extremorum frigus, & plures aliae affectiones ſpaſmodicae. Pulſus erat parvus & duriuſculus. Mens obnubilata erat. Nullum dolorem abdominis querebatur, ſed e contrario ſibi

(*a*) Non poſſum, quin hic memorabilem ſane obſervationem apponam, quam mihi *b. Schroederus* narravit. In pleuritide quadam epidemica bilioſa, medicus ſummo cum ſucceſſu emetica dabat, quae vero ſaepenumero ſolummodo alvum ſolvebant, &, ſi vomitus non concitaretur, moriebantur fere ſemper aegri. Ad hoc igitur praecavendum, in regione epigaſtrii, priuſquam vomitorium propinaret, veſicatorium impoſuit, & in omnibus, quibus hoc applicatum erat, emeſin civit vomitorium, & aegri ſervabantur. Nonne hoc probabiliter a ſpaſmis veniebat, qui vomitum impedirent, quos veſicatorium auferebat?

bene eſſe dicebat; verum ſi tangerentur hypochondria, voce & vultu dolorem ſignificabat. Applicabatur abdomini veſicatorium, & ecce! ſequenti die caput ſerenum, & pulſus maior erat, abierant hypochondriorum dolores & diſcuſſa eſſe videbatur inflammatio (*).

(*) Multa his addenda eſſent, quae vero prolixiorem nimis diſſertationem redderent; pauca circa venaeſectionis & veſicatoriorum in *gaſtrica inflammatoria* uſum, monebo. Non raram eſſe inflammatoriae febris cum bilioſa combinationem, certum eſſe dixi: hinc patet venaeſectionem in hominibus praecipue ſucciplenis & iuvenibus aliquando omnino requiri, & evacuantibus, ne ſtimulo ſuo inflammationis metum augeant, eſſe praemittendam. Magna tamen inter ſolitariam puramque inflammationem, & bilioſo fomite commixtam phlogoſin, differentia iacet: neque enim in utraque idem eſt remedium *venaeſectio repetita*. Certe ſaepe nimis *adparens* tantum huius evacuationis neceſſitas in febre putrida eſt, & obſervante cl. MERTENS, ſingula ſymptomata, quae in huius initio ſaepe inflammationem mentiuntur, poſt primos morbi inſultus abſque venaeſectione, in pleriſque nocivâ potius, ſponte diſparent; atque ſi *primum* febris iſtius ſtadium a detracto ſanguine videatur brevius reddi atque mitius: *tertium* certe, ob vires aegri nimis fractas, periculoſiſſimum redditur. *De febr. putrid. P. I.* Neque, ſi *venaeſectionis* neceſſitatem, praeſente ſimul inflammatione, fateantur practici ſummae auctoritatis, celare potuerunt, eam non liberali nimis manu eſſe ſuſcipiendam. Primis diebus,

§. XI.

Nunc cautiones quaſdam haud ſupervacaneas, ſed neceſſarias omnino, atque utiles ad-

---

cum pulſum in eiuſmodi epidemica febre plenum, frequentem, capitis dolorem magnum obſervaret DONALDUS MONRO, optimo effectu ſanguinem emiſit; raro autem repetita, aut ſera venaeſectio profuit, aut noxam non attulit. *Obſervations on the means of preſerving the health of ſoldiers. The ſecond Edition, Vol. I. p.* 241. HUXHAMUS, quamvis venaeſectionem ſaepe neceſſariam eſſe dixerit, fatetur tamen, a ſecunda mox venaeſectione ſaepe inſigniter deprimi pulſum. *Eſſay on fevers, chap. VIII.* Atque PRINGLIUS, qui venaeſectioni in *primo* morbi ſtadio, ſi cum ſymptomatis inflammatoriis incederet morbus, locum dedit, quamvis pulſus adpareret utplurimum oppreſſus: monuit tamen, in *ſecundo* ſtadio, largam ſanguinis evacuationem fere ſemper fuiſſe fatalem, atque, ſub pulſu ſummopere depreſſo, delirium auxiſſe. *Obſervations on the diſeaſes of the Army, part. III. ch. VII. Sect.* 5. Neque tamen & haec ſemper & ſine exceptione vera eſſe, monuit experientia ſua edoctus MONRO, dicens: „ When the patient was ſtrong, the pulſe quick and full, the eyes looked red, and the breathing was difficult, after the *petechiae* appeared, j took away more or leſs blood before giving the bark. Moſt practitioners of late years have been againſt bleeding in this ſtage of the diſorder; but truſting to the aſſurances giving by *Dr.* HASENOEHRL

dere mihi liceat . Prima nempe concernit vomitoria . Quanquam de ſumma utilitate , ſaepe etiam neceſſitate horum remediorum adeo convi-

---

of its being ſafe , nay of advantage to bleed ad this time , if the ſymptoms required it , j ventured upon it , and found it to be of the greateſt ſervice , in many caſes " . *L. c. p.* 259. Idem fere cl. ROUPE dixerat : „ Cum vanum , ait, timorem erga venaeſectiones , in his morbis (febri putrida cum petechiis) putredinem augentes , mihi initio formatam , ſepoſueram , nemo amplius in navi obierat. *De morbis navigantium*. Videantur quoque de hac tam ſeria materia , ill. BURSERII *Inſtitut. Medicinae pract. Vol. I.* §. 390. Dict. APFEL , de phlebotomiae , inprimis in febribus bilioſis , recta adminiſtratione ; Helmſtadii 1779. in ill. BALDINGERI *Sylloge Opuſcul. Med. pr. Vol. VI. p.* 330. — Henr. Car. God. BODE , *de ſanguinis detractionis recto uſu in morbis bilioſis* . *Goettingae* 1782. — Magna interim prudentia medica , & adcurata omnino epidemicae conſtitutionis conſideratio requiritur ad determinandum , quid in ſingulis caſibus venaeſectio vel prodeſſe queat , vel nocere . In genere obſervavi , crudeles venaeſectionis in putrido-bilioſa incaute nimis adhibitae effectus eſſe , atque plus certe in hâc , quam in illius ommiſſione peccari . Quae vero ſub *finem* putridarum , oriri ſolent viſcerum inflammationes , eae maiori adhuc difficultate premuntur , ſi ſanguinis miſſione eiſdem mederi coneris . Ab acrioribus & corruptis humoribus vaſa , tono ſuo iam fere deſtituta , infarctus ſanguinis patiuntur , qui a cruore *phlogiſtico* utplurimum diverſiſſimus eſt , & defectui potius virium vitalium , atque ſpaſticis va-

ctus ſim, ut credam, plures aegrotos multo difficilius abſque emetico, morbum ſuperaturos; imo multos morituros eſſe, qui, iuſto tempore

---

ſorum irritatorum criſpationibus ſtagnationem ſuam adſcribit. In his ergo circumſtantiis venaeſectioni locus non datur; ſed in cauſſam morbi convertenda eſt omnis attentio, & decocto tamarindorum potius, aut, quod putredini potentius reſiſtit, *corticis peruviani*, cum leni *rhabarbari* doſi, atque mucilaginis, vel & *emulſionis arabicae* additione ſymptomatis adaptatis, inteſtino adfecto ſuccurrendum eſt.

Quod ad *cantharidum* in hiſce circumſtantiis uſum pertinet, hunc, non obſtante *theoria*, qua ſanguinem in putridis *reſolutum*, magis adhuc abinde reſolvi dicunt; ubicumque inflammati viſceris adeſt ſuſpicio, quin illi venaeſectione poſſit ſecurri, egregium eſſe, ſi ipſi parti dolenti imponerentur, obſervavi, neque deſunt argumenta etiam *theoretica*, quae *experientiae*, ſi opus eſſet, rationem redderent. Gaudeo & in his conſentientem habere, praeter alios, ill. MONROUM, dicentem: „ A late author has affirmed that bliſters, inſtead of being of ſervice, allways do miſchief in that Kind of fever (putrid and petechial); from a notion that they introduce a very acrid ſalt into the blood, wich is a moſt powerful ſolvent of its textur; but this opinion is certainly founded *on mere theory* and not on practice and obſervation; for j have ſeen *many hundred exemples* of their good effects in ſuch fevers „. *L. c. p.* 247. Interim & linimentum volatile toti abdomini illinitum, & fomentatio-

emetico dato, morti eripi potuiſſent (*a*); nullus tamen dubito, quin, in eo ſtatu, de quo hucuſque locutus ſum, noxia imo lethalia evadere poſſint. Tanto magis vero hoc circa vomitoria monitum neceſſarium eſſe videtur, cum inflammationes viſcerum, nauſeam & conatum vomendi ſaepe producentes, colluviem bilioſam mentiri poſſint, quae emetico quamprimum educenda eſſe multis videatur. Verum male aegro conſuleres, ſi id ipſi propinares. Si enim eas mutationes, quae indè in viſceribus abdominalibus producuntur, conſideres, omnia nempe haec viſcera valide tum hic concuti & agitari, ſanguinis circulum augeri, iſtumque maiori impetu in vaſa minora irruere, unde ſtaſes augeantur & novae oriantur neceſſe eſt, tum nullum eſt dubium, quin omnia mala augeant emetica. Simul autem novo hoc irritamento vel hyperemeſis producetur, vel cum ob affectus ſpaſmodicos, qui cum inflammationibus coniuncti eſſe ſolent, vomitus excitari nequeat, per inferiora agit emeticum &

---

num emollientium, antiſepticorum uſus, comendanda veniunt in hoc periculoſo rerum ſtatu, cui medendo vel optima methodus parum ſatisfacere obſervatur.

(*a*) De uſu vomitoriorum in febribus bilioſis vid. *Huxhamus* Oper. T. 2. p. 158. *Tiſſot* de febre bil. Lauſan. variis locis, praeſertim p. 25.

hypercatharſin producit. Non video igitur quomodo probari poteſt, quod *Brendelius* (*a*) dicit, cum de vomitorio dando in febribus ſuis malignis praecipit: *Non timendas eſſe praecipites adeo ventriculi inflammationes, niſi ſingultus iam adſit*. *F. Hoffmannus* (*b*) in malignis & petechialibus febribus cavendum ſummopere ſuadet, ne vomitus concitetur, ſi inflammatio ventriculi iam adſit. *Valcarenghius* (*c*) in febre bilioſa, quam deſcribit, vomitoria quidem laudat, hac vero cum admonitione prudenti, antequam lipyria, quae ſaepiſſime in hac febre ex inflammatione viſcerum oriri videbatur, adſit. Saepius optimus Praeceptor, qui alias tot encomiis vomitoria in hiſce febribus extollebat, praeſentibus hiſce inflammationibus lethalia eſſe poſſe pronunciabat. Memorabile eſt, quod *Cl. Hillary* (*d*) de febre flava american. memorat, nauſeas & vomitus ſaepiſſime indicare emeticum, cum vero latera ventriculi ſaepius acri materia violenter iam irritata, & nonnihil inflammata eſſent, leniſſimi etiam emetici doſin vomitum ſaepe producere,

(*a*) Diſſert. de ſeriori evacuantium uſu.
(*b*) Medic. rat. ſyſtem. Tom. IV. P. III. p. 505. confer. & Tralles de Opio P. II. p. 181.
(*c*) Medic. ration. S. I. c. 3. §. 55.
(*d*) Diſeaſes of Minorca p. 159.

qui omne remedium reſpuat, & maiorem inflammationem & gangraenam producat. Nonne hinc etiam evenit, quod plures medici ſiniſtrum vomitoriorum eventum in hiſce febribus querantur, cum ea viſcere aliquo iam inflammato propinarent? Non ſatis igitur circumſpecti medentes eſſe poſſunt in dando emetico & ad omnia ſigna attenti, ita, ut ſi inflammatio adſit, eam prius reſolvere ſtudeant, cum poſtea ſummo cum fructu emeticum ſaepe propinari queat (*).

§. XII.

Magni uſus plerumque in hiſce febribus corticem eſſe peruvianum, multi Medici putant, nec ego ſaepius utilem eſſe, ſi iuſtis ſub cautionibus detur, negabo. Verum id quoque mihi perſuaſum habeo, ſummum huius remedii hic ſubeſſe contraindicans. Magis enim impingere videtur ſtaſes inflammatorias, bilis corruptae liberum exitum impedire, & ſanguinis motum in hiſce partibus adaugere: cum ergo cauſſam ha-

(*) Videatur de his ſequens *de larvis morborum bilioſis* tractatio, quam, ut incautos a *nimio* emeticorum uſu abſterrerem, *Goettingae* conſcripſi, & praeſenti diſſertationi, ob materiarum affinitatem, non ſine utilitate adiungendam eſſe credidi.

rum inflammationum, bilem acrem, non corrigere, multoque minus educere queat, difficiliorem potius reddet reſolutionem. Creſcere tunc ſolet calor, mens magis obnubilatur, & omnia ſymptomata capitis & nervorum exacerbantur. Illae inflammationes, quas viri praeſtantiſſimi largiori corticis peruviani doſi feliciter curabant (*a*), non erant eiuſdem indolis cum illis, de quibus hic ſermo eſt; ſed potius ex diſſoluto ac putrido ſanguine, non ex acri & corrupta bile originem traxiſſe videntur.

§. XIII.

Aliud adhuc, quoad haſce inflammationes mihi diiudicandum reſtat remedium, nempe epithemata frigida & hauſtus aquae frigidae. Inter omnes conſtat, quantis encomiis in hiſce praeſertim febribus a veteribus aeque & recentioribus efferantur (*b*). Putredini enim reſiſtunt,

---

(*a*) V. d. *Boſch* Hiſtoria conſtit. vermin. p. 252. & diverſis aliis locis & cl. *Sarcone* de morbis epidemicis Neapolit. diverſis locis p. 212. 223. cet.

(*b*) De uſu aquae frigidae in febribus legi merentur, qui & plures alios auctores adducunt, *Tiſſot* de febre bil. Lauſ. p. 92. *Kloeckhof.* in opuſc. p. 18. *Lommius* de febribus continuis, denique cl.

ﬂuida & ſolida denſiora reddunt, ſyſtema nervoſum roborant, & aeſtum febrilem imminuunt. Verum cum plurimae harum virium etiam cortici peruviano inſint, idem quod modo de cortice adduximus, etiam de aqua frigida valebit, nec igitur hac unquam ſecure uti poterimus (*).

Kirkland, *eſſay towards an improvement in the cure of thoſe diſeaſes, which are the cauſe of fevers*, qui vero nimis audax eſt in uſu eiuſdem, & eam in omnibus fere febribus laudat.

(*) Deſuit auctori tunc adhuc iuveni, nunc vero claro apud *Bremenſes* practico, experientia ſufficiens, ut de tantis remediis, in tam magnis anguſtiis adhibendis vel fugiendis, abſolutum ederet iudicium. Datur certe & hic perſaepe *cortici* locus, datur quoque *glaciei* ſubinde & frigidis fomentis, dummodo ab experta in his manu porrigantur. Longior eſſet conditionum enarratio, atque has in Clinicis noſtris occupationibus ad lectos aegrotantium potius demonſtrabo.

IOANNIS PETRI FRANK

Ph. & Med. D. Magnae Britanniae Regis Conſiliarii Aulici & Medicinae practicae in Academia Goettingenſi Profeſſoris P. O. &c. proluſio

DE

LARVIS MORBORUM BILIOSIS.

GOETTINGAE 1784.

ARtem ſalutiferam iiſdem ac humana quaecunque ſubiacere conditionibus, eam a temporum iniuria dependere & a cauſſis tam phyſicis, quam moralibus, quibus ſubiugatas dolemus omnes fere alias ſcientias, hinc illam, pro ſiderum vitalium poſitione diverſa, & fluxum pati & refluxum, nemo mirabitur, qui bene intellexerit, mundum hunc, ſine exceptione, regi opinionibus, quarum ubique fabri aluntur innumerabiles. Àſt ad fatalia artis medicae pertinet, a coecis ipſis, quaſi ſola coecutiret, notari, atque cum oculos revera habeat ſubinde obductos caligine, paucos invenire iuſtos, qui id non arti, non artifici tribuant, ſed opinionum falſarum torrenti vix evitabili, quo vel agri fertiliſſimi

ingrato ſterilique ſabulo cooperiuntur . *Adducite mihi artem ſine Medico*, exclamat I. I. ROVSSEAV , *& fiduciam dabo*! . . . quaſi vero id non fere de omni ſcientiarum claſſe exclamari poſſet , in qua humani quid patimur omnes & errores vendimus viciſſim !

Pauca haec ad excuſationem medicorum prolata ſunto ! Aſt dum culpam omnem a nobis avertere nequeamus ; dum fatales adeo errores noſtri effectus in genus humanum edere ſoleant ; quare non , cum ex opinionum vel novarum vel abſque ſerio examine ſuſceptarum affluxu , tam frequens inundatio imminet , quare non hinc inde turres erigimus , quas patres noſtri luſtratorias appellabant , e quibus reipublicae medicorum acclametur , hoſtem prae foribus eſſe & novae invaſionis periculum ?

Occaſio autem acclamandi mihi videtur adeſſe , quotieſcunque magna quaedam in receptis ſemel ſententiis revolutio imminet , quas , etſi in multis erroneas , raro non commutamus cum peioribus , niſi cautiſſimi eſſe velimus : vel quod nova ardenter nimis appetant homines , vel quod his cito ſatis examinandis impares ſint , vel demum quod & medicis ſuae ſint mutationis dulcedines , neque ſolus ſexus ſequior nunc hoc , nunc alio incedere praeferat amictu .

Heu fatum hominum triſte ! ſub paſſionum

iugo prae animantibus caeteris degere & colla medicis ſubmittere malunt, quam naturae ſequi vocem paucisque contentam vitam vivere facultate ſalutifera inegentem! obiurgant, nec corriguntur ab errorum conſcientia quibus nos ſubiectos noverunt! nos interim ſaeculo hoc ſecamus venas, altero urimus, tertio ſtimulamus aluum, prout ſaeculi genium iuſſerit, nec niſi elapſo hoc, fatemur, neque tam ferociter urendum, neque tam abunde mittendum ſanguinem, neque ſtomachum, neque aluum tam pertinaciter movenda, ſed omnia pro naturae indigentia magis, quam ſaeculi more inſtituenda & moderanda fuiſſe. Quodſi hae meditationes non minimam felicitatis publicae partem concernant; merentur ſane in conſiderationem duci omnes praxeos medicae praecipuae mutationes & regulis certis mox ſubmitti: ne, quod boni ab illis exſpectare licet, ob generaliorem applicationem in generis humani detrimentum abeat.

Nos noſtro nunc aevo, abiecta, uti pridem decuiſſet, ſanguinem in morbis omnibus fundendi inſatiabili cupidine, in *bile* horum originem quaerimus & in *inteſtinorum ſordibus*; nec me Hercle valdopere fallimur! Corporis culina ſtomachus eſt & ab oeſophago ad anum uſque canalis ducit, per quem ingeſta varie mutata, cruda, ſemicruda, cocta, craſſo flumine fe-

runtur & derivatis per vaſa bibula ad omnes corporis partes liquidioribus, tandem ſecernuntur corrupta & foetentia. Si canalis mortui ideam tibi formares; mox ex fluminum hiſtoria tibi perſuaſum haberes, impuritatum continuo allatarum, fundum canalis implentium copia eiuſdem capacitati quidquam detrahi, ingeſtis poni obicem, at retardata in putredinem abitura eſſe, cuius peſtifera exhalatio viciniam & mox univerſam inquinaret machinam. Aſt vero in vivo corpore canalis mortui idea exulat, & totus tubus, quem materia alimentaria habet percurrendum, vi gaudet contractili fibriſque propriis brevior redditur, mox incurvatur, mox conſtringitur, mox in ſe ipſum ſuſcipitur. Extenſionis capax eſt & ſenſu gaudet, quod ex doloribus colicis bene novimus & ex vermium irritationibus, exquiſitiſſimo. Vaſorum innumera ſerie pingitur inſuper canalis hic longiſſimus & mille modis contorquetur. Ex hinc facile quivis perſpiciet, ingeſta a ſtomacho in chymum tranſmutata, non tam proprio pondere & a tergo urgente nova materia, quam vi canalis alimentarii propria protrudi, aſcendere, mox in deſcenſum venire, nunc moram trahere, nunc celeriori curſu exitum moliri.

Nec in hac de inteſtinorum functionibus idea acquieſcendum nobis erit. Receptaculum

eſt, e quo corpus, ceu plantae ex radicibus ſuis, vires amiſſas reſarcit; aſt & caminum nobis ſiſtit, in quem ex humorum maſſa corruptae & noxiae partes exhalant & in certis morbis eximio cum fructu, praegreſſis variis tumultibus, eiiciuntur. Haec tamen ita ſe non habent, ut non praeter optimos ſuccos ex inteſtinis corpori affluentes, non & perverſa ſubinde reſorbeantur liquida &, quod radices plantis non faciunt, venena ipſiſmet fatalia praeparentur ſanguinem lente inficientia. Ex altera parte, irritatis ſtomacho & inteſtinis, affluxus humorum & vaſorum repletio in hiſce partibus, hinc & liquidorum exhalatio, augentur; quin corruptionis ullius notam incurriſſent: quemadmodum lacrymas morboſas nullus dixerit, quas Tabaci pulvis oculo inſperſus alicit & per genas copioſius devoluit. Quod vero maximi momenti eſt, imperium nervorum infimi ventris in caeterum corpus ſummum exiſtit, uti & cerebrum & reliqui corporis nervi regium in partes & viſcera abdominis dominium retinent: ſic ut reciproce ſibi tranſmittant irritationis affectus, quin cauſſae indagare vel in his vel in illis ſedem, tam facile ſit.

En originem malorum quae digeſtionis vitia & corruptorum humorum accumulatio vel motus ſegnior producunt, & quorum numerum

pro mutata hodiedum vivendi ratione auctoque in omnibus luxu, quin & ob tranſmutatum in mitius patrium clima fibraſque hominum relaxatas, incredibili modo auctum eſſe novimus.

Aſt & lapſis iam ſaeculis haec corruptae digeſtionis vis morbifica in omnes corporis partes, notiſſima fuit, quamvis in ipſa explicanda non eadem fuerit felicitas. Oculorum morbos a ſtomacho derivare nonniſi attenti cauſſarum ſcrutatoris erat, cuius vices GALENUS implevit, poſtquam de capitis morbis locutus eſſet, *qui a bilioſo humore in ventriculo contento proveniunt, qui per vomitum eiecta bile, protinus quieſcunt*, addens: *Similia ſuffuſioni accidentia oculos infeſtant, cumulatis in ore ventriculi excrementis* (*a*). Alibi refert: *in univerſum Viſa ob humorum in ventriculo contentorum vitium oborta utrique oculo ſimiliter accidere*, valdeque accuratus eſt in eo auctor, ut ſigna exhibeat, quando e ventriculo, quandonam ex ipſo oculo naſcatur ſuffuſio, docetque in primo caſu ſtomachi evacuationibus curare oculum & reſtaurato per amara remedia ventriculo, ac reſtituta concoctione, quod in diverſis terris obtinuerit, viſum reſtituere. De capitis dolore ait: *frequentiſſime videmus, flava in ventriculo bile contenta, caput dolore affici, mox*

(*a*) De locis affectis, lib. I. c. 1.

ea per vomitum eiecta, illico dolorem mitigari; quibus ſubiungit: *Huiuſmodi dolorum genera mordendo, exedendoque infeſtant, quemadmodum alia gravitate, alia tenſione, alia cum mentis delatione moleſtare videntur. Atque inter optimos medicos convenit, non ſolum haec accidentia, verum etiam morbum comitialem capiti a ventriculo procedere* (*a*).

Neque certe, ſi aliquando a vaporibus ad caput aſcendentibus, haec explicare anisi ſunt Veteres, veram ideo experimenti cauſſam ignoraverunt. *Cerebrum*, ait idem vir magnus, *ventriculo & ventriculus cerebro, ſuas affectiones tranſmittit, idque propter nervorum a cerebro ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos etiam ſenſus huic particulae, quam ulli reliquarum corporis partium acutior eſt. Quocirca capitis fracturas, cum ad membranas uſque perveniunt, bilioſus vomitus, ac interdum dolores capitis, quomodcunque fiant* (en philoſophiam Viri egregiam!) *ſubuerſioque ſtomachi & morſio comitatur* (*b*).

De Angina medici antiquiores non aliter cogitabant. ARCHIGENES ait: " *Occultae an-*

(*a*) L. c. lib. III. c. 7.
(*b*) L. c.

ginae cauſſam eſſe in quibuſdam nervos, qui ad ſtomachum deferuntur, dum male afficiuntur & poſt inferioribus membris, pulmoni inquam & cordi reſpirandi principium inflammant. Hinc eis ea conveniunt, quae vomitoriam vim obtinent" (*a*).

Si in hac cauſſarum morbificarum cognitione ſubſequentia tempora continuaſſent, in tam ſtolidos certe nunquam errores cecidiſſent, nec tantam tamque inanem ſanguinis iacturam genus humanum hucuſque feciſſet. Aſt quod in hiſce, ad noſtra uſque tempora peccatum fuerit, & praecipue in peſtifero conatu, per cutis poros ſudoris ope eiicere peccantem in corpore materiam, id nobis anſam dare non debuiſſet, omnes fere morborum cauſſas bilioſo ſnbmittendi imperio & omnem fere artis operam in ſolis fere collocandi abdominis evacuationibus. Neſcio certe, quam ſibi futura tempora de Saeculi decimi octavi genere humano ideam formabunt, & vereor ne *linioſam* in nobis maculam videant: ut quorum omne fere morborum genus ad hanc claſſem a medicis reducebatur totaque horum ſcientia in copioſa emeticorum porrectione conſtitiſſe videri poſſet.

(*a*) AETII tetrabibl. ſecund. ſerm. IV.

Interim non deſunt omnino viri, quos genium ſaeculi a ſeveriori morborum examine non abſterruit, vivuntque plures, qui amplitudinem morborum bilioſorum & a primarum viarum ſordibus oriundorum agnoſcendo, aliis cauſſis non minores in corpus humanum effectus tribuunt (a), dolentque tam multos novitatis titulo deceptos, in omnibus bilem quaerere & dum vel e longinquo detegunt, omnem ſymptomatum in hanc cauſſam coniicere. Oppoſuerunt ſe torrenti plures primae notae medici, nec tamen id obtinere potuerunt, ut ulterius larvam permultis morbis bilioſam detrahendi conamen cenſeri poſſit ſuperfluum. Paginae hae tam magno ſane argumento non ſufficient; liceat tamen, quae temporis penuria nunc permittit, pauciſſima ſuper his monere, quorum repetitio iunioribus ſaltem medicis utilitatem quandam afferat & ab epidemico fere errore hos tandem abſterreat.

De bilis natura, ſecretione & utilitate nihil hic monebo, contentus illis, quibus ſe liquidum hoc animale vel copia, vel excretionis viis, vel

(a) DE HAEN rat. med. PLATNER in verſione huius operis germanica, 1. B. S. 373. CLIFTON WINTRINGHAM in den Samml. auſerl. Abhandl. zum Gebr. praktiſcher Aerzte, 8. B. 2. St. S. 206. 7.

coloris varietate, ut ſignum offert practicis, ex quo falſo ad ipſius morbi cauſſam biliofam concludi poſſit.

Et primo quidem nervorum in hanc oeconomiae animalis partem ſummum & mobile adeo imperium eſt, ut turbae in excretione bilis & in eiuſdem varietatibus maximae, a ſola, & leviori quidem, quam quod morbus dici mereatur, cerebri nervorumque irritatione naſci ſoleant. Saniſſimam mulierem rheda vehi & mox ingentem bilis, ſeu bilioſi liquidi copiam vomitu excernere videbis: quin, pro tanto ſymptomate, ad praegreſſam huius humoris morboſam accumulationem vel ſtagnationem concludere queas. Idem illis contingit, qui ſe primo navi comittunt mariſque fluctibus. Vidi ſolam imaginationem malo in puella poſuiſſe obicem, quae facie ad anteriora converſa in rheda nullos patiebatur vomitus: quandocunque vero aliter ſedebat, ut loca relicta aſpiceret, copioſiſſime bilem vomebat. Atqui haec ipſa ſibi primum ſemper in rhedis locum expetebat, nec in eo vomitus patiebatur, quod retro ſedenti communiſſimum erat. Ad locum venitur, a quo, poſt brevem moram, domum erat retrovertendum, rheda interim hunc in finem converſa. Hanc puella mox intrat oblita mutationis & peiori ſe loco nunc eſſe commiſſam. Amicae, experimentum capturae ſilent,

mox ſubrident ; vomitus ſequitur nullus : mirantur , interrogant , num bene habeat ? quin optime , reſpondet , quandocunque mihi in rheda non eſt retrovehendum . Exſpectant deceptae puellae querelas : ſed pro prima vice nunc bilem non reddit , ut quae ſe de periculo ſecuram credebat , & errorem magno tandem amicarum cachinno agnoſcit , dum iter ſana perfeciſſet .

Novi in permultis locis quondam matres illegitimas , inſtrumento rotatorio , in poenae locum fuiſſe comiſſas , quo in orbem violentiſſime movebantur , ingrato bilis & aſſumptorum mox ſupra & infra eiectorum ſpectaculo . A quacunque re ante ſenſibiliorum mulierum oculos in gyrum acta , ortos noviślioſos vomitus , & vir fortis pridem , ſed a morbo acuto reconvaleſcens , pauper , cum maiores labores ſuſcipere necdum poſſet , domeſticis inſervit & glomerando incipit : vix rhombum aliquoties circumduxerat , dum bilioſi vomitus copioſi ſubito inſequuntur ; cauſſam ignorans , poſt horam ad opus recedit : novi tumultus & ſtomachi bilioſa ſubverſio ! quae dum in tertiam vicem inſecuta vidiſſet , rhombum a ſe proiicit nec ſe huic natum eſſe labori foemineo ſuſcipiendo ſanus declarat . A venaeſectione , etiam non copioſa , vomitus ſaepe vidi in delicatulis eſſe inſecutos .

Fere omnis Lypothymia nauſea incipit, vomitu vero frequentiſſimo finitur bilioſo. Vomitus ſequiori ſexui inſtantibus menſibus familiaris, & quis non ſeminis virilis in quam plurimas mulieres effectus noverit, quae paucis a foecundo coitu diebus, bilem in tam immenſa quantitate eiiciunt, ut nec bilioſiſſimam febrem maiorem eieciſſe noverim. Ad mediam graviditatem utplurimum ceſſat nervorum hoc ſymptoma ad omnia rebelle; tantumque abeſt ut a bile malum ducat originem, ut puriſſima exiſtente & humidiori lingua, appetitus interim vigeat, ſubſequente forte abortu mox turbae ceſſent, & vomitus compeſcatur. Ab ira pluribus mox incedit vomitus. A levi faucium per plumulam irritatione, vel & a digito in illis emetici officium praeſtante, in ſaniſſimis bilis praeſto eſt & largo mox flumine aſſurgit. Quod faucium in ſtomachum imperium & in ſemimortuo adhuc exiſtit, irritabilitatis diutiſſime & dum in caeteris partibus, corde forte ſolo excepto, plane obmuteſceret, retentae exemplo. A ſola lucis vividioris, a ſolis aſpectu, vomitus in aliquibus oboritur caeterum ſaniſſimis & in proverbium abiit vomitum nobis cieri, ubi rem horrendam ſpureamque vel videmus, vel narrando in nobis illius renovatur idea.

Haec & multa ſimilia in ſaniſſimis obſervare cuivis attento facile eſt, videturque vomi-

tus bilem magis, quam bilis vomitum hic movere, qui a ſola nervoſi generis irritatione & ab affecto ſtomacho, vires partium, illius evacuationem adiuvantium, in conſenſum trahente, ortum ducit, ſpongioſum hepar & felleam veſiculam comprimit, a bile liberat, hancque cum affluente aquoſo latice copioſiſſimo (*a*) intime miſcet, donec totam maſſam, quam incauti pro corpore delicti habebant, reiiciat, ſpaſmique ſedentur, ſub quibus ex duodeno inteſtino, curſu inverſo, liquida gaſtrica regurgitant in ventriculum, viaque per quam intraverant, impetu facto evacuantur.

Nunc & morboſi vomitus non a bilis vitio vel copia derivandi, facienda mentio.

Summa hic dolorum & irritati nervi in bilem vis eſt. A vulnere toties bilioſi vomitus, quos lenientia & mollientia ſuperimpoſita tollunt. Sub dolorum partus ultimorum invaſione vomitus frequentes & bilioſos norunt obſtetrices, partum egregie promoventes. In cephalalgia & hemicrania vomitus bilioſi tunc etiam obtinent, ubi in

(*a*) Singularis eſt nauſeae in fauces viaſque ſalivales actio, ſub qua liquida hic ſecerni ſolita, longe maiori copia affluunt & ſecernuntur, ita ut ſputa frequentia, ſi aliquando conſuetudini adſcribenda erunt, quam ſaepiſſime laborantis ſtomachi iudicium ſint. Eadem & in hoc fieri, analogia & experientia confirmatur.

ventriculo mali ſedes non eſt & a quacunque ſtomachi evacuatione non levatur. Iunioris foeminae exemplum habet WILLIS, quae hemicrania periodica laborans, illius acceſſum ex fame canina diem invaſionis praecedente, praedicere potuit: ſequebantur vomitus acidiſſimi & ſimul amariſſimi ſubinde liquidi (*a*); quam violentiam magis quam cauſſam mali demonſtrare recte aſſerit ill. TISSOT (*b*). Caput vel contuſum, vel fractum, vel & caeteri corporis valida concuſſio, bilem movet ſaepius aeruginoſam, copioſam. In inflammationibus vel ipſius ſtomachi, vel inteſtinorum vel uteri, continui bilis vomitus. Obſervavi in colica cum diarrhoea, quod cum caeterum non adeſſet vomituritio: adfuerit tamen, dum in inteſtinis dolores urgerent. Inteſtini herniam formantis ſtrangulatio enormes cauſſat vomitus; & pungente vel renes, vel ureteres calculo, vomunt bilem aegri copioſiſſimam. In doloribus hyſtericarum & hypochondriacorum ſpaſticis ſaepenumero ſtomachus ſubvertitur, & copioſa egeruntur viridiſſima, herbacea. Vermium effectus in ventriculum notiſſimi: ſed hi ſaltem materiem ſiſtunt evacua-

(*a*) De anima brutorum, Part. II. c. 1. p. 174.
(*b*) Abhandl. über die Nerven und ihre Krankheiten, 3. Band. 1. Theil. p. 531.

tioni aptam ; non ita eroſio a quocunque acri, emeticis haudquaquam obtemperante, qua praeſente vel guttula liquidi ſtomacho allata, dolores renovat & cum iis fatales vomitus ; &c.

Contagiorum natura ſtomacho infenſiſſima eſt, primoſque fere hic effectus edunt vel deglutitae cum ſaliva vel aliter admotae illorum particulae. Et primo quidem ab omni febrili acceſſu ventriculus mobiliſſimus redditur. Quanti non vomitus ſingulos intermittentium epidemicarum paroxyſmos concomitant, cum, inſecuto hos ſudore, ſaepe nulla latentis bilis indicia obſervantur! Inde vidit celeb. GRANT cum periculo a neglecta diſtinctione, ſub larva *bilioſarum*, autumno haerere febres intermittentes, quarum paroxyſmi continuas remittentes mentiuntur (*a*). Vidi ſaepiſſime ſub intermittentium frigore enormes vomitus nullis praecaveri potuiſſe emeticis vel evacuantibus remediis, &, ſignis cruditatis in primis viis plane abſentibus, ſingulis paroxyſmis repetitos. Quodſi ex his ad latitantis in viſceribus infimi ventris & in ventriculo hoſtis concluſiſſem praeſentiam : vanam certe morbi curam ſuſcepiſſem, quam tamen mox praeſtare ſolebat corticis peruviani uſus,

(*a*) Beob. über die Fieber, f. 351.

a quo, ut ſummo tunc antiemetico, cauſſa morbi, certe non bilioſa, mox eſt ſufflaminata. Sic variolarum ſuſcepto contagio & a pluribus aliis contagiorum ſpeciebus, vomitus familiariſſimi: SYDENHAMUS, ubi vomitio, ut in peſte ac febribus peſtilentialibus ſaepiſſime accidit, interpellaret; medicamentum ſudoriferum tantiſper propinare diſtulit, donec ſolo tegumentorum pondere (niſi quod linteaminis pars ſubinde ad colligendos halitus vultui ſuperinduceretur) ſudor promanare inciperet. Nam, cum materiae morbificae radii verſus ambitum corporis ſeſe exporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones eiſdem introrſum reflexis ac in ventriculum & inteſtina decumbentibus provenientes ultro ſedantur: adeo ut quantacunque ſtomachi ſubverſio praeceſſerit, aſſumpta deinceps medicamenta probe retineantur, ac ad ſudores ex voto prolicien-dos conducant (*a*).

Sed & alia nervorum in bilem actio eſt coloris in herbaceum & viridiſſimum nitorem mutatio. Neonatis commune ſymptoma eſt a ventris torminibus convelli & poſtea alvum habere aeruginoſam. Ab acido in primis viis derivant, experimentis non quidem refragantibus, colo-

(*a*) De febre peſtilentiali & peſte.

rem ; quem tamen & ab urinoſo ſalis ammoniaci ſpiritu ortum vidit cl. SCHROEDERUS (*a*), & quam deeſſe novimus ubi ſumma acidi in primis viis indicia adſunt . Quare tam varios bilem per morbos colores inducere , ut in ſyſtema vix conſentiant , recte monuit ill. HALLERUS , & idem homo ab admiſtis contentis ventriculi & inteſtinorum bilem colore tam diverſam eructat , ut ex ordine nunc pallidam , nunc vitellinam , nunc aeruginoſam , nunc demum iſatoden revomuiſſe viſus ſit (*b*). In febribus intermittentibus mali moris , febribus malignis , peſte , phrenitide , hydrophobia , dyſenteria , cholera morbo , in morbis ab ira , a capitis percuſſione , in colica pictonum , a calculo , ab arthritide retrogreſſa , viridem bilis colorem induit , quin ipſa ſemper morbum fecerit .

Quam dubia igitur erit in multis certe caſibus a bilis ſic dicta turgeſcentia deſumpta indicatio (*c*). Videntur & antiquiores medici ſenſiſſe difficultatem : cum vel plurimae bilis artificiali

(*a*) De alienata bilis qualitate , ubi viridis alvo excretorum aut vomitu reiectorum color .
(*b*) Element. Phyſiolog. Tom. VI. lib. XXXIII. Sect. III. §. IV.
(*c*) Monebat circa haec ill. DE HAEN, qui tamen in aliis emeticorum utilitatem non recte perſpexerat . Rat. med.

eiectione morbum, quem a bile deduxerant; diſcuſſum non videbant, vel & ſub bilis in ſtomacho haerentis indiciis praeſentibus, datoque ad vomendum remedio, nullam inſequi eiuſdem excretionem conſpiciebant. Sic GALENUS ait: *Si humor quiſpiam* (flava bilis) *in ipſius ventriculi tunicis contineatur, nauſea quidem vexabit, ſed inanis & ſine vomitu, & quae turbat & convellit duntaxat, nullum humorem evacuans, quemadmodum fieri ſolet, ubi ſecundum internam ſpatii latitudinem in ventriculo humor continetur* (*a*). Certe ab arthritica materia ad ventriculi parietes retrogreſſa & pertinaciter haerente, vel ab acri quocunque viſcus hoc erodente & inflammante, enormes vomitus emetico nequaquam auſculantes ſed quamplurimum exaſperandi. Toties obſervatum eſt, & ipſemet novi, ex longa ad regionem epigaſtricam oppreſſione, appetitu deiecto, nauſea, vomituritione fere perpetua, ad emetica uti ad ſacram anchoram confugiſſe medicos: cum interea malum a vaſorum ventriculi ſanguineorum turgeſcentia & a craſſi atrique ſanguinis in iiſdem ſtagnatione proveniens, in funeſtos cruoris vomitus ab emetico converteretur &

(*a*) De locis affectis, lib. I. c. 4.

arti maculam inureret, circa quod cl. KLOEKHOF monebat omnes, ne vaſorum ventriculi obſtructionem cruditatibus adſcriberent (*a*). Ipſe ego ardore laborans ventriculi perpetuo & appetitu depravato, repetito ingeſſi emeticum, bilem ſat copioſam quidem eiiciens; ſed malum ab acido ortum duxerat, in quod nullae emeticorum vires eſſe poterant & cui debellando abſorbentium optimorum uſus vix non erat impar. Communis litteratorum fere omnium morbus eſt ſtomachi debilitas viſcerumque digeſtioni inſervientium inactio: ſub his quotidiana fere ad ciendum vomitum naſceretur indicatio; a quo tamen remedii genere malum quam plurimum exaſperabitur. Commutata vitae ratione & moderatis animi contentionibus redit ſua iterum ventriculo virtus &, quod capiti nimis affluxerat vitalium virium, hoc digeſtionis operi impenſum, omnia mox incommoda aufert a nullo emetico auferenda; quamvis non ita raro ab accumulatis his ſordibus vera vomitionis artificialis naſcatur indicatio ſuaſque tunc utilitates habeat experientia comprobatas.

In ventriculi inteſtinorumque occultis inflammationibus, ubi toties pulſuum ſumma eſt

---

(*a*) Hiſt. febr. epid. Culenb. in opuſc. p. 79.

ſallacia, quamplurimos novi leto traditos, cum ex nauſea, vomituritionibus, oppreſſione ſtomachi, quin & ex oris amaritudine & linguae viſcoſitate ad bilis turgeſcentiam concluderent incauti. Quantas non ſtrages ederet medicus, qui in cholera morbo non demulcentibus magis & antiſpaſmodicis remediis aegro ſubveniret, quam bilem moventibus medicamentis, cuius motus iam tanti ſunt tamque ſaepe a bile ipſa originem non trahunt, ut quodcunque acre iiſdem producendis par ſit, & in ſpecie quidem diverſam, in genere vero conſopientem nervorumque tumultus nimios moderantem medelam requirat. Vereor, ne in dyſenteriis malignis ob nimias in hoc morbo emeticorum laudes, ſaepiſſime peccetur: cum a ſolo inteſtinorum dolore, nervorumque ventriculi conſenſu, & nauſea & vomituritio facillime producantur, inflammatio vero iamiam inteſtinalem tubum occupans, omnem certe, niſi haec abacta fuerit, emeticorum uſum intercludat.

In periculoſiſſimis peripneumoniis, ſumme inflammatoriis, a ſolo conſenſu non raro vomituritionem obſervari eſt, quem & vomitus inſequitur & hunc oris amaror. Atqui exitialis erit in ſymptomatico hoc vomitu emeticorum (niſi in minima & refracta doſi & reſolvendi ſcopo porrectorum) actio: a quorum uſu iuniores medi-

cos recte abſterret cl. VOGEL (*a*) . Quodſi in herniis incarceratis , praeſente iam validiori inteſtini prolapſi inflammatione profuerit aliquando vomitorium remedium : id quidem ſub certis circumſtantiis non omnino negaverim ; aſt in malo , cuius exitus in Ileum tam frequens eſt , quodve tam imanes ſemper vomitus habet comites , niſi omnis inflammatio iam ceſſet & regreſſus impedimenta ſublata ſint , emeticorum uſum maxime dubium ego quidem habuerim , donec non per unius ſed plurimorum experimentorum fidem convictus fuero . Hepatis , renum , uteri & veſicae inflammationes bilioſo perſaepe ſtipantur vomitu & funeſte illos decipiunt , qui ſyſtematis bilioſi auctoritate capti , ſymptoma a morbo ipſo non ſeparant , illique medendo , cauſſam iſtius exaſperant &c.

Quemadmodum vero incerta ſaepenumero ſunt turgeſcentis bilis indicia : ita morbi dantur bilioſae revera indolis , in quibus materia turgere non videtur , ſumma tamen eſt emeticorum mox a principio porrectorum utilitas . Perdifficilis eſt in hiſce morbis diagnoſis ; niſi epidemicus eorum character & nota anni conſtitutio lucem

(*a*) Handbuch der practiſchen Arzneywiſſenſchaft. I. Th. p. 314.

afferat & ad bilis excretionem, antequam diarrhoeam ulterius progreſſo morbo afferat taedioſiſſimam, moveat. Sic in bilioſa pleuritide venaeſectio dolorem haud leniebat, quamvis morbus fuiſſet ex rheumatico inflammatorius. Signa bilis iam non amplius aderant, nec nauſea, nec vomituritio: cum interim morbi genius epidemicus mihi ex multis aliis aegris iam notus fuerat, cum genae ruberent intenſe, circa labiorum oris commiſſuram vero ex livido palleſcerent, aegraque a primis morbi diebus vomitum paſſa fuiſſet ſpontaneum; praeſente reſpiratione perdifficili & dolore lateris atroci, dedi ſexta morbi die, qua primum vocatus eram, emeto-catharcticum, a quo bilis multa ore & alvo reiecta eſt. Siluit abhinc dolor lateris fere omnis, aegraque ſomnum recuperata eſt ecuſque amiſſum & tranſpirationem maxime proficuam, moderatam, quae non minima emeticorum in corpus humanum virtus eſt. Inter potiora diagnoſtica redundantis intra praecordia bilis repoſuit & ill. STOLL hunc ruborem genarum quaſi minio affrictum, dum ad oris labiorum commiſſuram & narium pinnas procurrit, ruborem pallor excipit ex flavo vireſcens, & praecipue dum ſplendor quidam oculorum, quaſi lacrymis innatantium accedat (*a*).

(*a*) Ratio medendi, T. II. p. 129.

Similes meis ; quae copioſae ſunt , obſervationes adduxit Vir hic egregius , ubi nec minimo bilis turgeſcentis praeſente ſigno , eandem tamen adeſſe , felici omine concludebat morbumque ex voto curabat .

Cum ergo tot ſint tantaeque bilis in morborum decurſu fallaciae : certe non ſupervacuam cenſeo brevem circa haec admonitionem illis ſaltem dicandam , qui artis necdum cum inimico vires coram lecto aegrorum metiri didicere ſatis, & a ſymptomatum bilioſorum cohorte ad bilioſum hoſtem concludere ſe pronos nimis ſiſtunt . Labor hinc erit ſummae in genus humanum utilitatis , bilioſi fomitis, ipſum morbum proxime occaſionantis , & ſymptomaticae tantum efferveſcentiae naturam & ſigna propius inveſtigare , quod ſane non levioris momenti obiectum erit & cui hae pagellae furtim adeo conſcriptae non ſufficiant . Alia nempe mihi ſuperſunt *oratione publica* proſequenda , quam , dum Profeſſoris Medicinae ordinarii officium Clementiſſime mihi demandatum legibus Academicis auſpicari iubeor , *de inſtituendo ad praxim Medico* habebo , eaque occaſione ſingulare *Regis Maximi* Beneficium gratumque ob id animum publice eſſari & pro *Auguſtiſſimo Rege Summiſque Georgiae Auguſtae Mecaenatibus* piiſſima Vota facere contendam . Cui Orationi Die XXII. Maii hora locoque con-

ſueto habendae ut intereſſe velint *Princeps Sereniſſimus* , *Magnificus Academiae Prorector* , *Illuſtriſſimi S. R. I. Comites* , *Patres* Academiae & *Profeſſores* honoratiſſimi , denique *Comilitones* atque omnium ordinum *Fautores* generoſiſſimi nobiliſſimique , ea qua decet pietate , obſervantia ac humanitate rogo atque obſecro . Scrib. in Academia Georgia Auguſta die 15. Maii cIↄ Iↄ CCLXXXIV.

IOANNES IACOBUS SCHAERTLICH

SCHWARZBURGO - RUDOLSTADIENSIS

DISSERTATIO

DE USU OPII

IN FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Goettingae 1783. (*).

§. I.

Opium opponere febribus intermittentibus novi nil eſt, nam iam antiquiſſimis temporibus Opium inter febrifuga eſt relatum. GALENUS vomitu excitato, ac die ſequente ſucco abſinthii pro

(*) Perutilem compilationem ſiſtit haec diſſertatio, atque experientias cum heroico medicamento inſtitutas, novas etiam, neque ulli certe practico non utiliſſimas, ſuccincte collectas tradit. Eſt vero *opium*, unum ex illis Medicae artis inſtrumentis potiſſimis, quod, ſub tyrannico *opinionum* iugo, iniquiſſimam ſortem ſemper expertum, atque mox ad aſtra elatum, mox vero infami ma-

potu dato, theriacam duabus ante acceſſum horis praebuit. Pleroſque aegrotos, quartana laborantes hoc modo a febre liberavit, nec morbus poſtea invaſit (*a*). ALEXANDER TRALLIANUS tradit Antidota quotidianae, quae ante invaſionem dat, hiſque Opium ineſt (*b*); variaque illius Antidota quartanae Opium ingreditur (*c*). AETIUS theriacam maximae quartanis conducere, ſi perfecta coctio in urinis apparet, contendit (*d*). AEGINETA hoc remedium etiam laudat (*e*). ARABES etiam theriacam in febribus intermittentibus adhibuere.

---

cula notatum eſt; donec, conſulta rerum magiſtra experientia, aequiorem tandem iudicem nactum eſſet. Hoc demum duce ſperandum eſt, remedii, quod in *mortalium ſolatium* floret, poſt paucos forte annos, longe aliam futuram eſſe hiſtoriam, quam a ſolertiſſimo TRALLESIO, licet eximio doctrinae Medicae ornatu, exarata fuit. Illuſtriſſimorum Virorum, LINDII, ODIERI & HOFFMANNI experientiae inſignem certe hic lucem accendunt & in uno eodemque medicamento contrarias omnino virtutes eſſe docent, de quibus ſoli quondam theriae nec in ſomno quidem cogitare licuiſſet, & quas omnibus quantocyus innoteſcere publica expoſcit utilitas.

(*a*) De Theriaca ad Piſonem cap. 15.
(*b*) L. XII. c. 7.
(*c*) L. c. c. 8.
(*d*) Tetrabibl. IV. Serm. I. c. 96.
(*e*) L. II. c. 23.

§. II.

Nec ſequentibus temporibus defuere medici, Opium in febribus intermittentibus exhibentes. PLATER Opium in febribus intermittentibus commendari tradit (*a*). RIVERIUS theriacam in tertiana ante acceſſionem adhiberi & frequenter praeceptorem ſuum VARANDAEUM, tanquam ſpecifico, illa uſum eſſe, memoriae prodit (*b*); & in quartana theriacam hora ante paroxyſmum cum vino, decocto chamaedreos, ſed non cruditatis ſtadio dandam eſſe, dicit (*c*). RIVERIUS multas febres tertianas longiſſime durantes, phlebotomia purgationibuſque frequenter repetitis, theriacae drachma mane per triduum data, ſanavit (*d*); ibique Laudano opiato in acceſſu ob Choleram febri intermittenti aſſociatam dato, febrem haud rediiſſe (*e*), tertianamque duplicatam aqua theriacali una hora ante invaſionem data, ſublatam legimus (*f*). HORST theriacam febre in quartana, ſed non ante vigorem prodeſſe,

(*a*) Prax. medic. T. II. p. m. 138.
(*b*) Prax. med. L. XVII. c. 3. de Tertiana.
(*c*) L. c. de Quartana.
(*d*) Obſerv. Centur. II. Obſerv. XLVI.
(*e*) L. c. Cent. II. Obſerv. XLII.
(*f*) L. c. Centur. IV. Obſerv. XL.

(*a*) quartanamque theriaca atque purgantibus ſanatam, refert (*b*). HEURNIUS in febre quotidiana ac quartana theriacam & mithridatium ante paroxyſmum praebet (*c*). ZACUTUS LUSITANUS theriacam coćto morbo datam, admirabile in quartana nominat auxilium (*d*). SYLVIUS Opiata febrium intermittentium vehementiam minuere, illaſque interdum propellere dicit (*e*).

§. III.

ETMULLER opiata praemiſſis digeſtivis evacuantibuſque brevi temporis ſpatio tollere febres intermittentes, inprimis ſi acceſſiones ex charactere nervis impreſſo magis quam ob fomitem morboſum pertinacius redeunt, & ſi graviora quaedam ſymptomata in paroxyſmo apparent, refert. Illa autem nunquam ſola, ſed aliis febrifugis coniunćta & ante inſultum febrilem porrigit. Opiatis frigus febrile mitigari ſtatuit. Affirmat, ſuccum abſinthii ad unciam dimidiam cum

(*a*) Problem. therap. Dec. I. Qu. 9.
(*b*) Obſerv. ſingul. L. 1.
(*c*) Oper. omn. T. II. c. 23. & 25.
(*d*) Oper. omn. T. I. p. m. 612.
(*e*) Oper med. p. m. 783.

theriacae drachma una in hauſtu vini, tribus ante invaſionem horis datum, certo a quibuſvis febribus intermittentibus liberare (*a*). W. WEDEL affirmat, Opiata optime convenire febribus intermittentibus, ſi materia praeparata evacuataque, febris remanet, acceſſioneſque ſaeviores evadunt, atque febris magna cum ſanguinis ebullitione, maxima virium reſolutione, dolore ac vomitu eſt ſtipata; hoc in caſu opiata ſaepe propellere febres nullo alio remedio proficiente, ſeque haud raro febres intermittentes eſſe medicatum, teſtatur. Caſum tertianae ex ſimplici in duplicem mutatae, quae nullo remedio auferri poterat, a ROLFINGIO Laudano opiato, quo aeger obdormivit, curatae, narrat. Ipſe WEDEL feliciſſime breviſſimoque tempore pleraſque febres intermittentes, recidiva haud ſubſecuta, pulvere ſuo antifebrili ante paroxyſmum exhibito depulit (*b*).

§. IV.

PIENS etiam Opiata in febribus intermittentibus & cum ſucceſſu adhibuit (*c*). COLE Opium

---

(*a*) Prax. L. I. c. 2.
(*b*) Opiologia p. 95. 96.
(*c*) De febribus in ſpecie p. 260. 274. 277.

etiam inter febrifuga refert (*a*). BLANCARD praegreſſis vomitoriis vel purgantibus expulſa ſaburra, diaphoretica quibus Opium annumerat ante acceſſum dari ſuadet; electuarium antifebrile ſudoriferum, cui Opium ineſt, quo pluſquam mille aegros a febribus intermittentibus liberavit, tradit (*b*). TALBOT ſaepe Opium cortici peruviano addidit (*c*). SYDENHAM pilulas cochiae maiores & theriacam cum aqua vitae in tertianis autumnalibus, ſudore iam quatuor ante invaſionem horis ſero lactis cereviſiato, cui ſalvia incocta eſt moto, dedit, ac ſudores continuo elicuit, donec aliquot horae ab illo tempore elapſae ſint, quo acceſſio ingruere debet. Multas febres intermittentes hac ratione vicit (*d*). In tertiana duplicata eodem remedio omiſſis tamen pilul. cochiae uſus eſt (*e*). FR. HOFMANNO aqua theriacali & cardui benedicti purgatis primis viis, tribus quatuorve ante inſultum febrilem horis, & poſt acceſſum data, innumeris experimentis in quartana comprobata eſt (*f*).

(*a*) MORTON opera medic. T. II. p. 74.
(*b*) Oper. p. m. 71. 72. 74.
(*c*) Blegny, le remede anglois pour la gueriſon des fievres p. 82.
(*d*) Opera medic. T. I. p. 54.
(*e*) L. c. p. 55.
(*f*) Medic. ſyſtem. rational. c. de febre quartana.

FREIND febrem intermittentem Opio ſolvi credit (*a*). PITCARNE laudano cortici peruviano coniuncto citius ac perfectius febres intermittentes ſanari ait (*b*). NIGRISOLI corticem peruvianum centaurio, ac mithridatio coniunctum nunquam irrito effectu dedit (*c*).

§. V.

Ex ſententia Ill. VAN SWIETEN febres intermittentes potibus diluentibus, ſudoriferis, ac leniter narcoticis, quibus etiam Opium additur, ſudore duabus tribuſve ante paroxyſmum horis excitato &, donec binae ultra tempus initii acceſſionis ſint elapſae horae, continuato, ſaepiſſime tolluntur, ſin minus, haec curandi methodus eſt repetenda (*d*). Haec methodus raro in febribus tertianis fallit, interdum & quartanas tollit. TRALLES Opiatis, imitatus DE HELWICH, mediocri doſi aliquot ante frigus horis datis, ſuperpotis lignorum decoctis, febres intermittentes tertianas, breviores inſultus habentes, praecipue nec aeſtu inſigni nec dolore capitis graviori co-

(*a*) Emmenolog. c. 14.
(*b*) Element. medic. L. II. c. 1. §. 47.
(*c*) Febris China Chinae expugnata p. 44.
(*d*) Commentar. T. II. §. 761.

mitatas, ſanavit; ſed haud raro diaphoretica leniora haec praeſtiterunt (*a*). TRALLES tamen profitetur, Opio cortici admiſto febres intermittentes citius certiuſque vinci: ipſe Cortici peruviano diaſcordium FRACASTOR. & theriacam duce DE HELWICH ſaepiuſcule effectu cum inſigni admiſcuit. Praeſertim hoc connubium illi arridet, ſi febris abſque omni materia ſolo animi a pathemate ortum ducit, nullo vitio humorum exiſtente. Exemplum ſimul annectit, febris intermittentis ex terrore & nauſea ortae, cuius nullus acceſſus cortice peruviano Laudano liquido conſociato exhibito, comparuit (*b*).

§. VI.

Iam vero experimenta, quae BERRYAT cum Opio in Febribus intermittentibus inſtituit, ſunt tradenda. Is ſex annorum ſpatio experimenta fecit. Plurimum praeſtitit Laudanum liquidum in infuſo ſummitatum centaurii minoris datum; hora hoc remedio adminiſtrato praeterlapſa, pulſus maior evadit, cutis relaxatur ac humida fit, & paulo poſt ſomnus accedit. Si

---

(*a*) Uſus Opii ſalubris & noxius Sect. II. §. 3.
(*b*) Sect. II. §. 4.

ſebris haud ſtatis aggreditur horis, hoc remedium ſtatim prodromis apparentibus eſt dandum; ſi vero prodromi deficiunt, exhiberi nequit. Raro huius remedii repetitione eſt opus. Aliquot horarum ſpatio caput grave eſt, ſiccitas linguae leniſque ſitis remanet, & omnes excretiones ſudore excepto, ad tempus ſupprimuntur. Multi aegrotorum radicalem ad curam aliis remediis haud indiguerunt; generalioribus tamen remediis haud exhibitis, poſtea illa adhibuit, ac aliquot per dies corticem peruvianum dedit. Quo vehementius eſt frigus, eo plus Laudanum liquidum effecit, ac quo minus adfuit frigus, eo difficilius febris abigi potuit; nullum ſi adeſt frigus, hoc remedium eſt inutile. Plures tertianas ac quartanas hoc remedium vicit, quae magno corticis peruviani ponderi, vario modo exhibiti haud ceſſerunt; quartanas quindecim ac octodecim menſium hoc remedium curavit. Plures infantes, ac illos, quibus cortex debile ob pectus non eſt datus, primum ſecundumve huius remedii praebium ſanos reddidit. Id etiam commodi hoc remedium affert, ut ſi illo utimur, magna corticis quantitate carere poſſimus. Doſis vehementiae morbi eſt accommodanda; dedit a guttis decem ad triginta; plerumque adultis guttas octodecim ſeu viginti in patera infuſi Centaurii minoris praebet. Hoc remedium una hora ante fri-

gus febrile propinat (*a*). Infans triennis febre tertiana duplicata rebelli laborans; quae nullo remedio auferri poterat, Laudani liquidi guttis quindecim una ante frigus febrile hora datis, indormivit, ſudavit ac febris hoc unico praebio eſt victa (*b*).

§. VII.

Nec ſilentio cl. SENAC eſt praetereundus; referens, medicum ſibi notum opium cum camphora coniunctum dediſſe, effectuſque felices huius remedii magnopere praedicaſſe. Nec dubitat, quin opium, ſi cum croco exhibeatur, febres intermittentes praecaveat. Sed addit, maxima cum cautione haec remedia eſſe danda, illaque nihil praeſtare, niſi evacuantia, ac reſolventia fuerint adminiſtrata; & magis prodeſſe in febribus ad quoddam tempus iam durantibus. Ill. HEVERMANN capitis doloribus, calore nimis vehementi ac Cephalalgia etiam diebus liberis praeſente, Uſione adhibita, omni ſecunda tertiave veſpera extracti opii thebaici granum

---

(*a*) Memoires preſentés à l' Academie royale des ſciences T. II. p. 255. 260.

(*b*) Memoires de l' Academie royale des ſciences 1757. p. 31.

unum aut Laudani liquidi SYDENHAMI guttas viginti dedit, ſimulque ſpecifica adhibuit; diebus tribus ſeu quatuor his remediis adminiſtratis capitis dolor evanuit, nec calor febrilis fuit nimius. Extractum Opii thebaici ipſi multa in febribus intermittentibus praeſtitit, nunquam tamen illud remedium ſolum, ſed ſemper cum febrifugis coniunctum dedit; attamen febres intermittentes curari hoc remedio poſſe, ac febribus inveteratis, aegri viribus iam valde fractis uſum remediorum anodynorum perneceſſarium atque utilem eſſe, exiſtimat (*a*). Pluribus quam centum aegris illa remedia praebuit, ac fere ſemper bonos exinde vidit ſucceſſus. Eius ex ſententia ea haud brevi temporis ſpatio ante febris acceſſum danda ſunt (*b*). Cl. QUARIN admiſtionem Opii cortici peruviano, in febribus intermittentibus a terrore aliove animi pathemate ortum ducentibus, praeſertim in hypochondriacis ac hyſtericis, laudat (*c*). Cl. GRANT belgio in gallico corticem peruvianum theriacae, rhabarbaro ac ſale abſinthii coniunctum, multo cum emolumento datum, ſeque hoc medicamento multo

(*a*) Von Wechſelfiebern p. 269. 270.
(*b*) Vermiſchte Bemerk. und Unterſuchungen der Arzneykunſt Th. I. p. 34. 35.
(*c*) De febribus & inflammationibus p. 173.

cum fructu eſſe uſum, tradit (*a*). FORDYCE quartanam biennem pulvere ſudorifero DOVERI, bihorio ante acceſſionem dato, paucorum dierum ſpatio ſuſtulit, variis remediis cortice peruviano ipſo antea fruſtra datis (*b*). Cl. RAHN combinationem Opii cum cortice peruviano egregie convenire, ſi febris a terrore & animi pathematibus, ex ſola nervorum perturbatione, ſine cauſſa materiali oritur, tradit (*c*). DUCHANOY aegros duabus horis ante frigus febrile in lectum calefactum reponi, eoſque plus quam illis eſt moris, ſtragulis operiri, tranquillos iacere, nec illis potum praeberi, curat. Una hora ante paroxyſmum guttas XX., XXV. aut XXX. Laudani liquidi in patera infuſi calidi florum chamomillae aut centaurii minoris exhibet. Sudore proveniente infuſum dictarum plantarum idque calidum abunde praebet. Prima huius remedii doſi exhibita, acceſſio permitis, ſed ſudores ſunt abundantes. Sequentibus paroxyſmis hoc remedium eſt repetendum, donec perfectam curationem praeſtitit. Numerus doſium huius remedii

(*a*) Beobacht. über die Natur und Heilung der Fieber p. 98.

(*b*) Medical Commentaries of Edinburgh. Vol. VI. in ill. Murray med. pract. Biblioth. B. III. p. 408. 409.

(*c*) Adverſar. medic. Vol. I. p. 145.

conſtitui haud poteſt, aliquoties multa praebia ſine omni malo eventu aegris exhibuit. Eius ex arbitrio melius haud exiſtit remedium praecavendi obſtructiones. Prodromis paroxyſmi hora aut tertia horae parte ante frigus febrile apparentibus, hoc remedium adminiſtrari, ſuadet; acceſſione iam praeſente haud exhibendum, ac ſemper plena doſi, caſu contrario magnum eff ctus vim perdi, eſſe dandam, tradit. Uſionem, emetica ac purgantia, illorum ſi adſint indicationes, eſſe adhibenda, declarat. Propinavit hoc remedium, & praemiſſis & poſtea adhibitis remediis generalioribus, praefert tamen Uſionem, illius ſi ſit neceſſitas, inſtituere, antequam detur Laudanum liquidum; emetica, & purgantia narcoticorum uſu meliores ac leniores praeſtare effectus, teſtatur. Dicta decem documentis illuſtrat (a).

§. VIII.

Nunc vero methodus, Opium in febribus intermittentibus exhibendi, quam cl. LIND in-

(a) Memoire ſur l' uſage des Narcotiques dans les fievres intermittentes, in gazette ſalutaire de Bouillon 1780. X. I.

venit, quamque recentiores quidam medici, inter quos ſummos in arte viros conſpicimus, ſententia comprobarunt ipſorum, effectuſque, quos iam dictus LIND ab Opio, hac methodo dato, ortos vidit, ſunt indicandi. Is Opiatum ex aquae fontan. ℥jß. aq. alexiter. ſpirit. ſyrup. e Mecon. ana ʒij. Tinct. thebaic. gut. XV. ad XX. plus trecentis aegris dedit. In apyrexia ſumtum hoc remedium ne minimum quidem praeſtitit, nec praecavendo, nec levando acceſſionem ſubſequentem; tempore frigoris, ſi propinatum eſt, una alterave vice frigus propellere, videbatur. Quodſi vero *dimidio horae poſt inceptum calorem* exhiberetur, plerumque proximum efficit levamen. Si Opium tempore caloris febrilis adminiſtratur, acceſſionem praecidit atque imminuit, allevat caput, aufert calorem febris urentem, ſudorem efficit grata cum mollitie cutis coniunctum, & ſemper copioſior eſt his aegris ſudor, quam illis, qui Opium haud ſumſere; ſaepe recreantem procreat ſomnum, ex quo madidus ſudore & maxima ex parte moleſtiis ſolutus aeger evigilat. Nullus aegrotorum, cui Opium eſt datum, hydrope aut ictero afflictus eſt. Si opium haud proxime ſymptomata febrilia diminuit, tamen illa vehementiora haud reddidit; quodſi delirium in acceſſu adſit, Opium aegro mentis compote facto demum eſt dandum,

hoc in caſu maxima ex parte debilitatem & languorem, delirium plerumque inſequentem profligat. Intermiſſionem perfectam efficit, & perexigua quantitate corticis peruviani eſt opus. In infantibus initio paroxyſmi ſpinam dorſi tinctura thebaica & linimento ſaponaceo illinendam curavit; hoc ſaepe acceſſionem avertit. Quodſi vero hoc effectum optatum haud praeſtiterit, Syrupi e Meconio cochlearia parva duo aut tria in ſtadio caloris data, plerumque minuunt ſymptomata. Ad morbum penitus propellendum, magneſia alba ad alvum purgandam data, Clyſmata e corticis extracto ac guttulis aliquot tincturae thebaicae iniicienda curat (*a*).

§. IX.

Hunc cl. virum ſecutus ODIER quoque Opium idque Laudani liquidi guttas viginti quinque dimidio horae poſt initium caloris febrilis exhibuit. Symptomata ex eius narratione minuuntur, atque paroxyſmus brevior redditur. Quidam hoc remedio ſolo ſunt ſanati, in uni-

(*a*) Von den Krankheiten der Europäer in heiſſen Climaten p. 297-301.

verſum tamen paucae quaedam doſes corticis peruviani & evacuantia requiruntur. Vehementi etiam praeſente delirio opium exhibet. Haec experientia GENEVAE ſaepius eſt repetita. Si aeger ſudat, paroxyſmus penitus evaneſcit, ſin autem non ſudat, acceſſio tamen hoc remedio minuitur (*a*). Cl. WITHERS Opium Uſione antea inſtituta initio frigoris caloriſve febrilis maximo cum emolumento adminiſtrari poſſe, illudque ſymptomata mitigare, durationem acceſſionis praecidere, humores ad cutis ſuperficiem propellere, ſpaſticam vaſorum cutaneorum conſtrictionem auferre, ſudoremque calidum ac lenem totius corporis promovere, affirmat (*b*). Illuſtr. DAHLBERG ſe aliquoties veritatem uſus Opii a LIND praedicati vidiſſe, in ſtadio caloris datum antecellere omnibus notis remediis in levando capitis dolore & acceſſum tolerabiliorem reddendo, dicit. Effectum huius remedii hoc modo dati, tam ſecurum ac praeſtantem exiſtimat, ut illud remedium ſe didiciſſe haud ſatis gaudere poſſit (*c*). Cl. GREGORY etiam Opio

(*a*) Medical and philoſophical Commentaires of Edinburgh Vol. VI. in Gl. MURRAY medic. pract. Biblioth. B. III. p. 408. 409.

(*b*) Bemerk. über die Fehler im Gebrauch der Arzneymittel p. 295. 296.

(*c*) Cl. MURRAY l. c. Vol. III. p. 321.

in febribus intermittentibus eſt uſus; ex huiuſque experientia Opium quidem & ante acceſſionem & ſtadio frigoris febrilis cum fructu administrari poteſt; initio ſtadii caloris autem exhibitum, eſt efficaciſſimum (*a*). Alio libro idem cl. GREGORY Opium remediis febres intermittentes profligantibus, uti & remediis calorem mitigantibus ac recidentibus, atque ſudorem promoventibus, annumerat (*b*). Cl. CULLEN Opiata remediis recurſum paroxyſmorum praecaventibus refert, illaque caloris ſtadio adhibita, febres intermittentes tollere pronunciat (*c*). DESAIVE in tertiana vehementi, Opium parca manu aegro exhibitum, brevi inſecutos eſſe ſudores copioſos ac criticos, febremque haud reddiiſſe, narrat (*d*).

(*a*) BRANDRETH Diſſ. de Febribus intermittentibus Edinb. 1770. in Götting. gelehrte Anzeigen 1771. Zugabe XLIV.
(*b*) Anfangſgründe der Behandlung der Krankheiten p. 34. 36.
(*c*) Anfangſgründe der pract. Arzneywiſſenſchaft p. 226.-228.
(*d*) Gazette ſalutaire de Bouillon 1777. N. VII.

§. X.

Sunt etiam medici, qui Opium in febribus intermittentibus, quae *ſoporoſae* dicuntur, adminiſtrarunt. Hoc quidem primo intuitu temerarium videtur conſilium, nam quis eſt, quem fugiat, Opium ſomnum conciliare, nec deſunt triſtes caſus, ubi Opium in febribus intermittentibus exhibitum, ſoporem procreavit. Cl. MORTON dicit, Opiata initio acceſſionis exhibita, multum periculi afferre, ac paroxyſmum febrium intermittentium legitimum haud raro in funeſtam Apoplexiam vel Coma mutare. Adiicit caſum, quo inſtituta Uſione, purgante ac vomitorio exhibito aegro ſub initium invaſionis hauſtus ex aqua theriacali propinatus, aegerque ſtragulis eſt tectus; paulo poſt ſomnus profundiſſimus ac ſudores colliquativi ſunt ſecuti, & aeger ſpatio viginti quatuor horarum apoplectice periit (*a*). ELLER a Laudano inſtante acceſſione exhibito, Coma ſomnolentum, & die ſexto mortem phreniticam vidit (*b*). Attamen Opii effectibus accuratius perſpectis, a ratione abhorrere haud videtur in fe-

---

(*a*) Pyretologia p. 39. 40.
(*b*) Obſervationes de cognoſcendis & curandis morbis Sect. IV. p. 103.

bribus ſic dictis ſoporoſis Opium adminiſtrare, nam character harum febrium intermittentium ſpaſmus eſt, & Opium maximum antiſpaſmodicum habetur, nec experientia deeſt, Opium ſolvere ſpaſmum, qui character eſt febrium intermittentium ſoporoſarum. Iam RIVERIUS narrat, in febre intermittente ſoporoſa Laudani granis tribus ante paroxyſmum exhibitis, acceſſionem quidem apparuiſſe, duabus autem horis tranſactis, omnia ſymptomata remiſiſſe, aegrum tota nocte ſe bene habuiſſe & poſtridie apozema hyſtericum, ac purgans datum curationem perfeciſſe (a). Cl. HOFFMANN, qui dicto iam morbo Opium aliquoties optimo cum ſucceſſu adhibuerat, aegrae, febre intermittente ſoporoſa laboranti Laudani liquidi guttas quadraginta quatuor in os infudit. Minutis aliquot praeterlapſis pulſus maior & reſpiratio liberior eſt facta ac intra horae dimidium ſopor ceſſavit. Die tertio iterum paroxyſmus ſoporoſus apparuit, etſi cortex peruvianus larga copia clyſteribus eſt iniectus, ſed Opio eſt victus. Sequenti paroxyſmo hoc remedium ante acceſſionem eſt datum; febrilis quidem paroxyſmus ſecutus, ſed

(a) Obſervat. Centur. II. Obſervat. 26.

ſopor acceſſionem haud eſt comitatus (a). Etiam WIRTENSOHN utilitatem Opii in febribus intermittentibus ſoporoſis aliquoties vidit, ac duo refert exempla (b):

§. XI.

Opium corticis peruviano eſſe addendum; ſi diarrhoea corticis peruviani uſum inſequatur, quod interdum accidit, aut ſi diarrhoea ſe

---

(a) WIRTENSOHN Diſſ. Opium vires cordis debilitare §. 62.

(b) L. c. §. 64.

(*) Eadem fere cl. BERRYAT obſervaverat, quae de Archiatro *Monaſterienſi*, ill. HOFFMANNO, refert WIRTENSOHN. Accedens enim ad aegrotum ſexagenarium febre *pernicioſa* detentum, ſub prima viſitatione invenit illum ſine omni ſenſu, oculis diſtortis, ac ore obliquo decumbere; pectus erat pituita repletum aegerque ſtertebat; contracta cutis, pulſus tactum fugiens. Praeſcribebat tunc cl. BERRYAT confectionem de *Hyacintho*, a qua pulſus quodammodo inſurgebat. Ut vero futurum paroxyſmum praeveniret, horâ ante eiuſdem ingreſſum una, *Syrupi diacodii unciam unam* exhibuit, a quo remedio (certe debiliſſimo, & cui in his circumſtantiis nequaquam in adultis erit confidendum) febris omnis praeſcindebatur. Interim *Laudanum liquidum* SYDENHAMI a X., ad XXX. guttas in centauri minoris infuſo, in his circumſtantiis largiri non reformidabat. *Mémoires preſentés à l' Academie des Sciences T.* 4.

ſebribus intermittentibus aſſociat; auctores uno ore atque conſenſu affirmant. Sufficiat igitur quoſdam tantum nominare qui connubium corticis peruviani ac Opii commendant; cl. SYDENHAM (*a*), MORTON (*b*), hic etiam in febribus intermittentibus rheumatiſmum pleuritidem, ac peripneumoniam, colicam, choleram, diarrhoeam, ſcarlatinam, eryſipelas mentientibus in paroxyſmo Opium & acceſſione finita corticem peruvianum cum Opio praebet (*c*), atque exempla harum febrium intermittentium hac methodo curatarum refert (*d*); WERLHOF, etiam cortici Opium coniunxit, tuſſi doloribuſve praeſentibus (*e*); CLEGHORN qui etiam vomitu apparente Opium cortici peruviano addit (*f*), & Laudanum cum tinctura caſtorei ad ſingultum compeſcendum, porrigit (*g*); PITCARNE, hic etiam vomitu ſebri intermittenti accedente, cortici peruviano Opium admiſcet (*h*); SENAC,

---

(*a*) Opera Medica p. 189.
(*b*) Pyretologia p. 71.
(*c*) L. c. p. 40.
(*d*) L. c. Hiſtor. 3. 4. 6-9. 12. 13. 15-19. 21. 22. 27.
(*e*) Opera Medica p. 133.
(*f*) Beobacht. über die epidem. Krankheiten in Minorka p. 209.
(*g*) L. c. p. 211.
(*h*) L. c. §. 47.

etiam cortici peruviano Opium aſſociat, ſi vehementes artuum, ventriculi, viſcerum & inteſtinorum dolores, vomituſve adſunt (*a*); TISSOT (*b*); LIND (*c*); QUARIN (*d*).

§. XII.

Iam uſu Opii in febribus intermittentibus experientia demonſtrato, mihi Opii in febribus intermittentibus adminiſtrationem rationi haud contrariari ſed illam Opii exhibitionem poſtulare, eſt probandum. Perſuaſum mihi habeo, febres intermittentes morbos ad ſpaſticos eſſe referendas. Argumenta huius aſſertionis primo repetam a ſymptomatibus febrium intermittentium. Acceſſionem plerumque oſcitatio, languor ac pandiculatio & dolores in dorſo praeeunt. Mox frigus vehemens accedit, pori cutanei ſunt contracti, cutis aſpera ac interdum inſenſibilis eſt, adeſt pallor faciei, quin immo labia interdum evadunt livida, ungues livent, omnes partes gracileſcunt, pulſus perceler ac parvus, intermittens digitis tangitur, ſpirandi difficultas ma-

(*a*) L. c. p. 373.
(*b*) Avis au Peuple p. 339.
(*c*) L. c. p. 293.
(*d*) L. c. p. 173.

gna, reſpiratio parva ac celeris eſt; adeſt pulſatio cordis, ſiccitas oris, ſitis, anxietas, magna praecordiorum oppreſſio, tremor; urina pallida ac limpida eſt. Frigus interdum unum duntaxat membrum occupat. Quandoque ſpaſtica thoracis conſtrictio aegros afficit, quae ſenſum pectoris laqueis obſtricti exprimit, eaque ſaepe tam valida eſt, ut reſpiratio impediatur; interdum horror tam validus eſt, ut ipſum lectum, in quo aeger iacet, concutiat. Quandoque graviora ſymptomata ſeſe febribus intermittentibus aſſociant, febres intermittentes ad ſpaſticos affectus eſſe referendas, demonſtrantia; huius generis ſunt, cardialgia, icterus, haemoptyſis, tuſſis vehemens, convulſiones, tetanus, veſicae urinariae ſpaſmus, ſingultus, ſopor, vehementes dolores colici, contractio abdominis, ſpaſmus maxillae inferioris. In cadaveribus in ſtadio frigoris febrilis mortuis, cor, cerebrum ac pulmones ſanguine quam maxime repleta, reperiuntur. Haec ſymptomata mea ex ſententia ſpaſmum cutis arteriarumque minimarum, ſtadio frigoris febrilis adeſſe, probant. Etiam ſtadio caloris febrilis ſpaſmus cutis ac minimarum arteriarum adeſt, id quod cutis arida, ſitis, exſiccatio fonticulorum aliorumque ulcerum manantium, lotium minori copia emiſſum, anxietas, ac alvi obſtructio demonſtrant.

Febres intermittentes eſſe ſpaſticam affectionem (*), etiam cauſſae praediſponentes ac occaſionales quas vocant, confirmant. Nam ad cauſſas proegumenas praegreſſae febres intermittentes, debilitas, ac nimia irritabilitas referuntur, & cauſſis procatarcticis dictis vehementiora animi pathemata, permagna defatigatio, multae vigiliae, nimiae excretiones, ſudores ſuppreſſi, exanthemata retrograda, dolores vehementes annumerantur; frequentiſſima vero febrium intermittentium cauſſa bilis eſt, hancque frequentiſſimam eſſe morborum ſpaſticorum cauſſam, cuilibet notum eſt. Febres intermittentes ſublata cauſſa non ſemper ceſſant, praeſertim ſi febris intermittens diutius adfuerit, id quod etiam ſpaſticis morbis eſt commune.

Saepius febres intermittentes ſub ſpecie aliorum morborum latent, pluresque horum morborum ſunt ſpaſmodicae indolis v. c. epilepſia, catalepſis, tremor, mania, melancholia, malum hypochondriacum, paralyſis, haemorrhagiae, cholera.

Febres intermittentes ſpaſticis eſſe annume-

(*) Eodem fere argumento utebatur cl. BERRYAT, atque auctor noſter, CULLENII inſuper in explicanda febris natura theoriam adhibet, quae forte eodem, quo febrium theoriae omnes, defectu laborat.

randas morbis, Opiumque dicto morbo magno cum emolumento adminiſtrari poſſe, oſtendunt denique remedia febres intermittentes profligantia; varia enim antiſpaſmodica in febribus intermittentibus magna cum utilitate ſunt exhibita. Corticem peruvianum, ſpectatiſſimum in febribus intermittentibus remedium, vires febrifugas etiam exparte a virtute, quae ei ineſt antiſpaſmodica, nec ſolum a vi roborante acceptas referre, ex eo colligi poteſt, quod nullum medicamentum roborans tam certo febres intermittentes vincat, ac externe cuti applicatus quoque febres intermittentes ſanaverit. Emetica una hora ante paroxyſmum exhibita ſaepius acceſſionem depellunt, quin immo quandoque acceſſus haud redeunt, etiam ſordibus haud praeſentibus, hunc effectum a viribus antiſpaſmodicis exoriri, emetica alio tempore data hunc effectum minime certo praeſtare, & una hora ante acceſſum etiam ſordibus bilioſis non praeſentibus interdum omnem febrem tollere, probant; mihi ipſi hunc emeticorum uſum iterata vice in noſocomio academico, quod auſpiciis Ill. conſiliarii RICHTER ad cineres uſque colendi, cuiuſque maximum in me collatum favorem ſemper grata agnoſcam mente, regitur, animadvertere obtigit occaſio. Oleum animale Dippelii febribus intermittentibus felici cum ſucceſſu eſt oppoſitum; nec minus Valeriana in fe-

bribus intermittentibus eſt adminiſtrata; flores chamomillae egregio cum eventu a viris experientiſſimis in arte medica ſunt adhibitae in febribus intermittentibus; etiam nucem vomicam magno cum fructu adhiberi poſſe, recentioribus temporibus quidam ſtatuerunt. Caſtoreum magna doſi exhibitum etiam quartanas ſuſtulit. Praecipue vero radicis Ipecacuanhae exigua doſi exhibitae, vim ac efficaciam in febribus intermittentibus paulo prolixius referendam eſſe, credo. Cl. WICHMANN radicem Ipecacuanhae, eadem qua cortex peruvianus adminiſtratur methodo, pauperibus, quibus cortex peruvianus nimis eſt pretioſus in febribus intermittentibus praebuit. Is evacuantibus rite praegreſſis Ipecacuanhae radicis granum unum cum ſaccharo vel magneſia in florum chamomillae infuſo aegris exhibuit. Scrupulis duobus hac ratione datis, febris intermittens plerumque propellitur, etiam ſi evacuationes nec ſurſum, nec deorſum ſequantur; octavo, ſublata intermittente febre die radicis Ipecacuanhae ſcrupulum tertium praebuit. Si neceſſitas urgeat, corticis peruviani unciam unam roborandi cauſſa ſubiungit. Magna in epidemia annorum 1777. & 1779. numeroſas febres intermittentes hac methodo vicit. Febrem tertianam per plures menſes aegrum vexantem, quam varia remedia ac cortex peruvianus ipſe tollere non

poterant, ſubinde recidivantem, nocturna cum tuſſicula & macie corporis coniunctam iam dictus WICHMANN Ipecacuanhae, ſupra dicto modo exhibitae, elapſis aliquot hebdomadibus ſanavit; febre iam profligata, corticem roborandi cauſſa aegro dedit (a). MEYER Ipecacuanham quoque in febribus intermittentibus bono cum eventu exhibuit. Aegrum febri intermittente longo iam tempore laborantem, leucophlegmatia totius corporis ſtipata, Ipecacuanhae granis duobus quovis trihorio adminiſtratis, quatuordecim dierum ſpatio, ſenſibilibus excretionibus non inſequentibus, liberavit; octo diebus praeterlapſis per octiduum iterum eadem ratione Ipecacuanhae radicem praebuit. Aeger infuſum florum chamomillae ut adiuvans bibit (b). Cum igitur febres intermittentes morbis ſpaſticis eſſe annumerandas, ſpaſmum cutis ac arteriarum minimarum in paroxyſmo dicti morbi adeſſe, ac remedia antiſpaſmodica maximo cum emolumento exhibita eſſe ex ſupra dictis lucide appareat, Opium, ut maximum antiſpaſmodicum, in febribus intermittentibus adminiſtrari poſſe, concludi poteſt. Accedit, Opium etiam gaudere vi diaphoretica qua

(a) MEYER Diſſ. de eximio Ipecacuanhae refracta doſi exhibitae uſu §. 23.
(b) L. c. §. 23.

eo melius ſpaſmum cutaneum & minimarum arteriarum removere poteſt, quam alia antiſpaſmodica remedia quae nil diaphoretici habent. Effectus Opii etiam ex parte a vi diaphoretica dependere, ex eo colligi poteſt, quod Opium experientia cl. ODIER, uti in antecedentibus indicavi, ſi aeger opio dato ſudet, plus commodi praeſtet, & etiam alia diaphoretica ſaepe febres intermittentes ſanarint.

§. XIII.

Attamen triſtem interdum eventum Opii intermittentibus in febribus adminiſtrationem eſſe inſecutum, paſſim apud auctores legimus. GALENUS iam commemorat, theriacam non legitimo tempore in quartana datam, acceſſionem vehementiorem reddidiſſe (*a*); quam tamen quartanam GALENUS poſtea theriaca legitimo tempore data profligavit (*b*). Opii infelicis uſus caſum, quem MORTON memorat, ſupra iam tradidi. TULPIUS improvidum theriacae uſum febres intermittentes in continuas ſaepe mutare refert (*c*). TRALLES, Opio in frigore febrili

---

(*a*) De Praenotione, cap. 2.
(*b*) L. c. cap. 3.
(*c*) Monita medica N. XXX.

ſummo convulſivi quid habente exhibito, parum abfuiſſe quin verae paene convulſiones ſummos inter angores accederent, tradit (*a*). ELLER Opio aromaticis iunčto, largiori doſi ad frigus febrile arcendum ante acceſſionem exhibito, acceſſum quidem non apparuiſſe, ſed praecordiorum inflammationem ſecutam, ac febrem intermittentem in febrem paraphreniticam eſſe mutatam, affirmat (*b*). Ill. STOERK Opium methodo BERRYAT multis aegrotis magna cum attentione praebuit; duo tantum poſt profundum ſomnum ſunt curati, ſed debiles & ſtupidi deinceps manſerunt, nec appetitus rediit; unius tantum aegri acceſſiones minus violentae evaſerunt, febris tamen non tota eſt propulſa. In omnibus aliis aegris Opium temulentiam, paroxyſmos longiores, ac alvi obſtipationem effecit. Interdum ſymptomata quaedam in acceſſu apparentia, hoc remedio mitigari ſi prudenter adhibeatur, febreſque mere nervoſas Laudano liquido SYDENHAMI una hora ante paroxyſmum ſomno moto, propelli profitetur (*c*). Ap-

(*a*) L. c. Sect. II. §. 2.
(*b*) L. c. Sect. IV. p. 103.
(*c*) Annus medicus primus p. 77. 78.
(*) Hinc *palliativum* tantum remedium eſſe in *opio*

paret igitur ex damnis Opii in febribus intermittentibus uſu exortis, illud non ſemper in dicto saepius morbo cum ſpe ſucceſſus boni praeberi poſſe, ſed rationem praeceptorum quorundam eſſe habendam, ſi illud remedium cum emolumento dare velis.

§. XIV.

Quodſi igitur Opium in febribus intermittentibus cum fructu adminiſtrari velimus, leges quaſdam obſervemus neceſſe eſt, quas iam determinare annitar. Sciendum igitur eſt, Opium tantum dari poſſe, ſi cauſſa materialis deeſt. Quodſi vero cauſſa quaedam materialis v. c. bilis, pituita, cruditates primarum viarum, vermes, obſtructiones viſcerum, adſit, illa tollenda eſt, antequam Opium aegro exhibeas. Namque

inquit cl. MORISOT DESLANDES, a quo aeger ad meliora aut ſecuriora remedia praeparetur: quamvis non diffiteatur, & a ſe ipſo perniciosas febres quaſdam feliciter opio fuiſſe impugnatas. *Palliativum* adpellet remedium, ſine quo ipſe *cortex* ſaepe nullam virtutem habet, nihil intereſt: dummodo *palliativo* hoc medicamento rectius uti ex tantis effectibus tandem addiſcamus. Vid. *Séance publique de la faculté de Médecine de Paris tenuë le 9. Decembre* 1779. *Paris* 1780.

Opium, uti & Cortex peruvianus in febribus intermittentibus, cauſſa quadam harum febrium praeſente, adminiſtratum, maximum aegro poteſt inferre detrimentum atque caſus, in quibus Opium magnae fuit aegroto calamitati, ab illegitimo huius remedii uſu ortum trahere videntur. Opium enim his in caſibus, cauſſa febrium intermittentium nondum ſublata, adhibitum eſſe, ex eo colligi poteſt, quod in pleriſque documentis in quibus Opium aegrotis obſuit, alia remedia eſſe exhibita, non legimus. Opium igitur tantum dictis in febribus cum commodo adminiſtrari poteſt, ſi character nervis impreſſus ſola febrium intermittentium eſt cauſſa; in febribus tamen intermittentibus malignis, quas inter ſoporoſae eminent, Opium cauſſa materiali adhuc praeſente, vitae ob periculum maximum eſt praebendum, & cauſſa materialis propulſis demum his febribus eſt tollenda, uti & cortex peruvianus etiam his febribus intermittentibus malignis, cauſſis materialibus nondum ſublatis, eſt adhibendus. Opium in omnibus quidem febribus intermittentibus, ſervatis modo dictis conditionibus, exhiberi poteſt; praecipue vero illius uſus dictis in febribus, ſi quae ſequuntur res in promtu ſunt eſt ſuadendus. Si febris intermittentis paroxyſmi aut nullo aut perpauco finiuntur ſudore; Opium enim, uti in antecedentibus

eſt dictum ; copioſum elicit ſudorem, haecque ratione febrem tollit. Accedit, quod cortex peruvianus intermittentibus in febribus, earum ſi acceſſiones ſudore haud terminantur, adminiſtrari nequeat, Opium hoc in caſu ſolum aegris praebendum eſt. Si febris intermittens diutius adfuerit, ac character febris nervis firme fuerit impreſſus, hoc in caſu magna corticis peruviani praebenda eſt quantitas, & tamen hae febres intermittentes interdum cortice peruviano abigi non poſſunt; his in febribus combinatio Opii cum cortice peruviano eſt ſuadenda, maxime ſi hae febres ſaepius recurrunt. Dantur interdum epidemiae febrium intermittentium, in quibus omnes fere febres intermittentes difficulter cortice peruviano tolli poſſunt, ac ſaepius maximae corticis peruviani doſes dictas febres propellere haud valent ob morem harum febrium epidemicum; his in febribus etiam ad augendas corticis peruviani vires Opium datum, multum ad tollendas has rebelles febres conferre, ſperare poſſumus. Quodſi tranſpiratio ſuppreſſa febres intermittentes gignat, adminiſtratio Opii quoque praecipue ſuadenda eſſe videtur, cum egregium ſit diaphoreticum & hac ratione tranſpirationem ſuppreſſam reſtituat. Si aegroti febribus intermittentibus laborantes, nimis irritabili ſint praediti corpore, id quod inprimis apud hypochon-

driacos ac hyſtericas invenimus, commendanda quoque eſt Opii adminiſtratio. His quidem ut iam dixi in caſibus, Opii exhibitio maxime eſt ſuadenda, attamen etiam intermittentibus in febribus, dictis conditionibus haud praeſentibus, Opium dari poſſe cum emolumento, ex ſupra enarratis auctoribus apparet. Diſſuaderem autem huius remedii uſum ſaepius dictis in febribus ſi harum febrium paroxyſmi multis terminentur ſudoribus, cum ſit timendum, ne Opium hoc in caſu ſudores adaugeat, ac vires aegroti magnopere deiiciat. Suaderem, Opium methodo cl. LIND dimidio horae poſt inceptum calorem adminiſtrari, cum experientia & huius cl. Viri & cl. GREGORY Opium plus efficaciae praeſtet, ſi hoc tempore exhibeatur quam ſi in apyrexia ſtadiove frigoris febrilis detur, id quod iam ſupra dixi. Cortex peruvianus, quem ſimul dare proderit ad citius ac perfectius curandas ſaepius dictas febres, excipe, ſi febres intermittentes ſudore haud finiantur, quo in caſu Opium ſolum eſt dandum, in apyrexia eſt exhibendus. Cortici peruviano Opium eſt addendum, ſi diarrhoea corticis uſum inſequatur. Sopor qui febribus intermittentibus interdum accedit, a congeſtione ſanguinis ad caput ac pulmones oritur, cuius cauſſa vehementior eſt ſpaſmus. Nam iam in antecedentibus, ſpaſmum cutaneum atque mi-

nimarum artériarum frigoris ac caloris febrilis ſtadio adeſſe, teſtimoniis confirmavi. His in febribus intermittentibus ſoporoſis Opium in acceſſione eſt adhibendum, ïdque magna doſi, cum aegroti maximo verſentur in periculo; quavis tertia parte horae Opium eſt dandum, donec ſopor ceſſaverit. Quodſi vero hoc ſopore afflicti deglutire non poſſint, Opium forma clyſmatum eſt praebendum, & id quidem magna doſi (*);

(*) Periculoſum eſt, *vago* adeo *termino*, remedii, cuius tanta activitas eſt, doſin determinare. Studioſum Medicinae novi, qui, cum a Praeceptore ſuo audiiſſet, anginam quondam ſanatam fuiſſe, cum ex errore Chirurgi *magna* laudani liquidi *doſis* ano fuiſſet iniecta, *magnam* & ipſe *doſin*, & brevi quidem tempore ultra *unciam integram* huius ſomniferi remedii clyſteribus tam infelici exitu morbi inflammatorii curavit iniici, ut aeger mox ſoporoſus e vita miſer decederet. Cum vero duplex ad abdominis viſcera via, una per *oeſophagum* ducat, altera per *inteſtinum rectum*, atque frequenter obveniat, primam illam, vel ob ſpaſmos, lipothymias, vomitum continuum, vel mechanicas ob rationes, vel demum ob aegroti reſiſtentiam, eſſe impeditam: optandum eſſet, ut maiori diligentia, quam hucuſque praeſtitum fuit, diverſi effectus variorum medicamentorum in corpus humanum, prout hac vel illa via eidem inferuntur, adnotarentur. Quamvis enim *craſſorum inteſtinorum* non eadem ſemper ſit irritabilitatis & ſenſilitatis, ob mucum magis vel minus tenacem, vel ob maiorem vel minorem faecum hic

Laudanum liquidum SYDENHAMI medullae ſpinali eſt illinendum, ac charta bibula Laudano

---

ſtabulantium quantitatem, ratio; cum tamen ante *clyſteris medicinalis* exhibitionem, lex ſit, *ſimplici* prius *clyſtere* inteſtinum rectum deplere atque eluere: poſſet certe, repetitis deſuper inſtitutis experimentis, calculus iniri, ex quo *differentia* utriuſque viae, tum *ſuperioris*, tum *inferioris*, aliqua maiori certitudine determinaretur, atque ex ea, doſis medicamentorum, prout per hanc vel illam ingerantur, erueretur. Aliquid in his praeſtitum eſt ratione febrium cortice chinae in *clyſteribus* porrectae curandarum, atque eximias certe regulas tradidit ill. KAEMPFIUS, de actione clyſterum reſolventium in morbis viſcerum abdominis; ſed neque haec doctrinam de poſſibili *clyſterum medicinalium* virtute exhauriunt, atque multum adhuc abeſt, ut exactam doſium notitiam habeamus, quâ diverſa medicamenta, dum per alvum ingeruntur, cum ſpe aliqua certioris effectus, debeant praeſcribi. Nullus dubito, hanc viam ſaepe nimis a Medicis negligi, quam ſalus aegrotorum ſibi expeteret: vel quod ridicula horum pudicitia illis obſit; vel quod illi ipſi minus quam par ſit medicamentorum in has partes actioni confidant. Sed ſufficiant haec, ad iuvenes medicos, arreptâ ſic mihi occaſione, excitandos & hortandos, ne *turpem* medicinam eſſe putent, quae toties ſervandae adhuc miſerorum vitae inſervire poterit, neque credant, ipſorum laboribus nihil remanere excolendum, quod non anteriorum induſtria iam ſatis fuerit elaboratum. Ingens certe *opii* doſis, ob maxillae tetanum, &c. ſaepe ano debet iniici, & non ita pridem aegroto, *rabie canina, duobus iam*

liquido madefacta ſcrobiculo cordis eſt ſuperimponenda. Paroxyſmo febris intermittentis ſoporoſae finito, ſtatim cortex peruvianus addito Opio, iſque magna doſi ac parvis intervallis eſt adminiſtrandus, propterea quod aegri in ſummo ſint diſcrimine. His in febribus intermittentibus ſoporoſis ac malignis in univerſum, Opium in acceſſione ac cortex peruvianus Opio iunctus praeſente etiam cauſſa materiali, acceſſione finita, eſt adminiſtrandus, cum hic indicatio vitalis ſit, ſi enim cauſſam materialem tollere vellemus, aeger moreretur (*). Si uſus Opii in morbis ve-

---

ab infectione menſibus elapſis, adfecto, octo etiam *opii grana*, mox vero *duos integros ſcrupulos*, totidemque Moſchi *per clyſterem* iniecit clariſſimus & amiciſſimus mihi *Placentinus* Chirurgiae Profeſſor D. MORIGI, quin a tanta *opii*, etiam oeſophago largiter propinati, doſi, in lethali morbo, vel minimus ſomnus vel quies induceretur. Sed neque in his *regula* deeſt, quam morbi tantum gravitas & experientia dictare poteſt, ignota vero remediorum in hanc partem corporis actio, ſatis ſaepe reddit perdifficilem.

(*) Nollem ego in omnibus *ſoporoſis* febribus, quas *malignas* dicunt, *in univerſum* & abſque cauſſarum conſideratione, *opium* ſuadere, in quantum infelix illud *malignitatis* vocabulum a practicis tam vaga ſignificatione accipitur. Certe ſi *ſaburra putrida* ventriculum onerans, hunc ſoporem generaverit; *emetici* maior neceſſitas erit, noxiamque *opium* vim exercebit. Si in plethorico

nereis, quod his in morbis ſummo cum ſucceſſu eſt adhibitum ac radicalem morborum variorum a cauſſa venerea ortum ducentium curationem perfecit, ut cl. MICHAELIS (*a*), & SCHOEPFF, quique poſterior plures aegros ab ulceribus venereis liberavit & ex decem menſibus nulli aegrotorum mercurium praebuit & affirmat, ſe nondum coactum eſſe permutare Opii admini-

---

homine annique conſtitutione *inflammatoria* eiuſmodi febres obrepant, pulſuſque ſint magni, fortes, facies rubra, livida, tumida, &c.; nemo prudens, ante celebratam ex venis praecipue *iugularibus* ſanguinis miſſionem, *opium* adminiſtrabit. In univerſum ergo ad *nervoſas* potius *febres intermittentes*, tam *ſimplices*, quae v. g. ab animi pathemate, vel a nimia corporis ſenſilitate, originem ducunt, quam *pernicioſas* TORTII, quae ad eandem omnino claſſem pertinent, ſed maioribus ſtipantur ſymptomatis & periculo, *opii* uſum cum cortice coniunctum eſſe reſtringendum putaverim. Legi vero & relegi merentur, tum quae Illuſtris Eques & amiciſſimus quondam mihi Collega MURRAY de virtute opii tradidit in *Apparatus Medicaminum*, *Vol. II. p.* 212 -- 300., tum, quibus vera in *opio* agendi ratio cordi eſt, Ill. Collegae mei & Profeſſoris Ticinenſis BASSIANI CARMINATI, *de animalium ex mephitibus, & noxiis halitibus interitu, eiuſque propioribus cauſſis, lib. p.* 132 -- 166.

(*a*) Ill. RICHTER chirurg. Biblioth. B. VI. St. I. p. 139. 140.

ſtrationem atque Mercurium exhibere (*a*), nobiſcum communicarunt, pluribus amplius morborum a cauſſa venerea provenientium curationibus erit confirmatus; hoc remedium etiam intermittentibus in febribus a materia venerea natis eſſe exhibendum, cenſeo. Hoc in caſu id remedium, cauſſa materiali nondum remota, eſt adminiſtrandum; cum Opium cauſſam ipſam materialem nempe miaſma venereum tolleret, ac ſimul characterem nervis impreſſum removeret, egregium ſane remedium his in febribus intermittentibus eſſet. Sed ut iam dixi; pluribus primum Opii morbis in venereis uſus experimentis eſt firmandus, antequam illius adminiſtratio in febribus intermittentibus venereis ſuaderi poterit (*).

(*a*) SCHOEPFF von der Würkung des Mohnſafts in der Luſtſeuche p. 1-10.

(*) Attentionem merentur novae obſervationes de *virtute opii in lue venerea*, quamvis minus eidem faveat recentiſſimus Auctor, in utiliſſimo libro: *Practical obſervations on the more obſtinate and inveterate veneveal complaints*. *By* I. SCHWEDIAVER *M. D. London*, *pr. for Johnſon* 1784., qui liber gallico nunc idiomate prodiit ſub titulo: *Obſervations pratiques ſur les maladies Vénériennes*, *traduites de l'Anglois de M.* SVEDIAUR, *par M.* GIBELIN, &c. *a Paris* 1785. — Quaedam hinc experimenta aliorum, in commodum

eorum adducam, qui libros, qui de hac materia tractant, non poſſident, vel cum linguae germanicae cognitione deſtituantur, legere nequeunt. Primus quidem in *Germania*, cl. SCHOEPFF, caſu quodam improviſo, ſanatum *venerea lue* laborantem aegrotum vidit, huiuſque rei per litteras ad ill. DELIUM tranſmiſſas, cognitionem dedit, quam dein ill. TODE in *Bibliotheca* ſua *Medico-Chirurgica*, Eruditis communicavit. Sed & *America*, teſte ill. MICHAELIS, tunc ibidem degente Proto Medico, nunc *Archiatro Haſſo caſſelano*, caſui fortuito medicamenti novi experientiam debuit. Vir enim iuvenis, qui per longam moram ulceribus venereis, & doloribus nocturnis atrocibus, magnam *mercurii* copiam oppoſuerat, tandem vero pertaeſus remedii, ob inſignes cruciatus, grana *quatuor ad quinque opii* quotidie, abſque ullo alio medicamento, aſſumſit. Praeter exſpectationem ulcera ſanata fuerunt aegerque ſanitati omnino reſtitutus eſt. Incepit hinc D. NOOTH aegrotis ſyphilide laborantibus *opium* exhibere, atque virtutem remedii obſtupuit. Vidit ab eo tempore plures aegrotantes MICHAELIS, hoc ſolo remedio curatos fuiſſe, qui peſſimis ulceribus venereis, carie inveterata, & atrociſſimis doloribus nocturnis cruciabantur. Somnum hoc medicamentum, in aliis nullum, in aliis paucum, promovebat, alvum vero potius ſolvebat, quam obſtruebat, atque ſudorem utplurimum excitabat. *Briefe von Herrn General-Staabſmedicus D.* MICHAELIS, *zu Neuyork*, *in Ill.* RICHTER *Chirurgiſcher Bibliothek VI. Band.*, *I. Stueck*, *S.* 139. 40. Confirmavit hanc opii virtutem apud ill. TODE, iuvenis 24. annorum ulcuſculis cancroſis venereae naturae (Chancres) male tractatis affectus. Adiunxerat ſe malo, febris, quae ad veſperas invadebat, mane vero cum ſudore ceſſabat, & dolor capitis vehemens, qui

ſomnum omnino impediebat. Adparebant ſimul ad cranium multae exoſtoſes atque tandem fauces quoque exulcerabantur. Per varia itinera maritima impeditus, medicinam nullam faciebat aeger, donec *Havniam*, praeter enumerata mala, cachectico habitu praeditus, revertebatur. Praeſcripſit ill. TODE Pilulas ex mercurio dulci, alias vero ex *opio* & ſucco glycyrrhizae. Ex illis bis de die grana tria, eodem vero tempore *opium*, primo ad granum unum, dein quotidie aſcendendo per granum, tandem ad grana tria, aſſumebat. Ob multum vero, quem iam in corpore gerebat mercurium, & quod tranſpirationem minus curabat validam paſſus eſt ſalivationem. Fauces quidem incipiebant depurari, ſed ſalivationem aeger ulterius ſuſtinere non poterat. Alteri hinc lecto commiſſo aegroto, mercurium ſuſpendere illum iuſſit, *opium* vero ob difficultatem deglutitionis in aqua ſolutum ita ſumebat, ut tandem ſex eiuſdem grana tam mane, quam ad noctem adhiberet. Ceſſabat mox ſalivatio; ſequebatur ſudor copioſus & foetens, alvi excretio non immutabatur, caput, praeter levem ſoporem, nihil patiebatur, & ulcera faucium quaſi ex miraculo ſanabantur. Gradatim ergo uſum *opii* imminuebat, evacuans denique remedium & confortantia adhibebat, & ſanitati integrae ita reſtitutum obſervabat TODE, ut poſt ſex menſes vegetiorem ac unquam iuvenem conſpiceret. *Medicíniſch-Chirurgiſche Bibliothek*, *IX. Band*. 3. *Stück*, *Coppenhagen* 1781. *p*. 565. 6. Paulo poſt in *Actis Regiae Societatis Medicae Havnienſis Vol. I. p.* 424. *ſeqq.* Idem Vir cl. varias obſervationes de eximia opii virtute antivenerea cum Regia Societate communicavit atque docuit, ſe propriis oculis perluſtraſſe duos aegrotos hac medicina a cl. SIBBERNIO in Sophroniſterio *Havnienſi* curatos in optima convaleſcentia iam conſtitutos, atque

ſic de egregia *opii* in ſanandis malis ſyphiliticis efficacia certiorem & *inſperati*, *quinimo inauditi & vix credibilis eventus* teſtem ſe ſiſtebat. Cum vero cl. SIBBERNIUM ad nova & accurata in hac re experimenta excitaviſſet, mox plurimos aegrotos lue venerea affectos, ab eodem, praedicta methodo curatos ipſe quoque ill. TODE perluſtravit. Elapſo denique anno (1784.) cl. nunc Profeſſor Medicinae *Goettingenſis D.* FISCHER, in litteris ad ill. RICHTER *Londino* datis, teſtatus eſt, ſe aegrotum obſervaſſe, qui, ob varia & pertinacia ſymptomata venerea, praecipue vero ob ulcera in regione pubis & perinaei, variis iam mercurii praeparationibus, ad ſalivationem uſque binis vicibus tractatus fuerat, cum autumno demum dyſenteria affecto *opium* a D. *Van* EMMINGEN proſcriberetur. Vix per tres, quatuorve dies hoc uſus erat, cum non modo dyſenteriâ curatus eſſet, ſed & ulcera eius pertinacia longe meliorem iam faciem praeſeferrent. Hinc *opium* continuabatur, & eiuſdem *grana quatuor*, de die *quater* aſſumebat, quin ſopor aut alvi obſtructio inſequerentur. Tempore vero quo cl. FISCHER aegrotum hunc conſpexit, ſanationi integrae proximum fuiſſe fatetur. RICHTER, *l. c. VII. Band.*, 4. *St. p.* 768. Tandem & poſt duos annos, novorum experimentorum cum *opio* in *America* inſtitutorum rationem reddidit MICHAELIS. Confirmabat effectus, quos in multis aliis aegrotis venereis ab eo tempore cum D. NOOTH in ſyphilide curanda *opium* praeſtiterit, & hos aliquando votis non reſpondiſſe fatebatur quidem; ſed in raris his caſibus, ait, ſaepe apud medicum in porrigendo opio non ſatis audacem, culpa iacebat. Mox huic aſſueſcit corpus remedio & poſt paucas ſeptimanas aliquando duos etiam eiuſdem porrigebat ſcrupulos raroque ſopor aliique effectus *opii* in aliquibus obſer-

vabantur. Neque ſecretiones alias omnes, praeter illam cutis, ab *opio* debilitari, ex eo vidit MICHAELIS, quod raro alvum ſiccam, apud plures quotidie ter quater motam, apud quoſdam vero laxam omnino & ſat fortiter evacuatam obſervaverit. Saepe *ſalivationis* lenioris ſpeciem produci vidit ab opio; apud plurimos vero urinam movebat, ita ut quarta parte potus aſſumti quantitatem ſuperaret. RICHTERS *Chirurg. Bibliothek VI. Band.* 4. *St. S.* 737. 8. Experimenta quoque *Haunienſia* docebant, ab *opio* ſudorem potentiſſime, praecipue matutino tempore, moveri, qui ſimul ingratiſſimum ſpiret odorem. Idem quoque de urina monetur, quae coeteroquin non raro valde mucoſa exiſteret. Interim ſomnus totam noctem & omne tempus antemeridianum aegrotos occupaſſe dicitur, ita tamen ut facili negotio inde excitarentur. De dolore capitis, excepta unica filia, nemo conquerebatur; alvi vero beneficio nunquam non omnes gaudebant. TODE in *Act. Societ. Med. Reg. Havnienſ. l. c. p.* 430. Hoc vero modo ſat brevi tempore, & in primis iam quidem *octo* diebus, bonos *opii* effectus experiri aegrotos, qui nullo modo ad auſteras diaetae tenuioris regulas adſtringantur, monet MICHAELIS.

Haec celeberrimorum Virorum experimenta omnem practicorum mox in ſe animos converterunt; neque tamen magnos hucuſque inter nos progreſſus fecit inventum novum, ut vel ulterius confirmatum fuiſſe hucuſque noverim. In *tumore* quidem *teſtis venereo*, remedium maxime proficuum eſſe *opium* laudabili doſi porrectum, vel clyſteris ope iniectum, fatetur quoque cl. SCHWEDIAUR *Ch. IV.* In *Iſchuria* etiam *venerea*, necdum penitus diſtenta veſicâ, evacuatis primum, *clyſtere ſimplici*, alvi foecibus, *Enema* ex olei lini & aquae hordei partibus aequalibus cum ſat lauta

Laudani liquidi doſi, utiliſſimum ad urinae evacuationem promovendam eſſe remedium, teſtatur idem. *L. c. Ch. VI.* In *Ophthalmia*, inquit, *venerea*, *Laudanum* oculo inſtillatum lenimen aliquando evidentiſſimum producit. *L. c. Ch. XVI.* Hoc idem confirmatur a cl. & amiciſſimo HUNCZOWSKY de *Ophthalmiis non venereis*, quas *Londini*, ſi chronicae eſſent, neque tamen ab acredine humorum orirentur, egregiam a *tinctura thebaica* opem accipere refert. A principio aliquot tantum eiuſdem guttulae cum aquae roſarum uncia una commiſcentur, dein vero augetur ſucceſſive *thebaicae tincturae* doſis. Iam pridem cl. WARE ipſam ſine aqua *tincturam* oculo inſtillabat; ſed dolores haec *ſola* in oculo excitare ſolet; & hoc ſibi proprium habet utraque methodus: ut ſi non mox auxilio eſſe videatur, ab eadem ſit deſiſtendum. *Mediciniſch-Chirurgiſche Beobachtungen auf Seinen Reiſen durch England und frankreich*. In *arthritide venerea*, a longiori iam tempore, magno cum effectu, *opii* & mercurii partes aequales porrigere ſolebat cl. DE PLENCIZ, *acta & obſervata* medica. *Prag. & Vien.* 1783. — Interim haec ſingula *opium* necdum videntur ad *mercurii* in lue venerea auctoritatem elevaſſe. Fatetur ill. RICHTER, neque ſuas, neque amicorum experientias novo huic remedio favere: quamvis mox addat, ſe in *tam magnis doſibus*, *opio uti non auſum fuiſſe*. *L. c. p.* 741. in qua forſan omiſſione experimentorum latet differentia. Concludit vero Vir hic clariſſimus, ab *opio* levamen quidem atrocium dolorum, quos *lues* gignit, poſſe exſpectari; luem tamen ipſam nequaquam curari, atque ſic *palliativam* potius eſſe virtutem remedii. Hoc ab aliis quoque *ſudoriferis* impetrari, & aegrotos ad *calidiores* regiones peregrinantes, ſaepe per ſat longum tempus a *lue* apparere liberos, donec, in

frigidiores reverſi, nova eiuſdem patiantur ſymptomata, monet, atque, donec experientia plures aliter doceant, nonniſi communes *ſudoriferis* aliis vires *opio* attribuit. Videntur tamen inſtituta hucuſque pericula maiorem aliquanto auctoritatem *opio* largiri, quam coetera ſudorifera vix habeant. Saepe certe *mercurius*, ob nimiam ventriculi irritabilitatem, & ſenſibilitatem aegrotantium ſummam, virtute ſua deſtituitur; ſaepe cito nimis tam per alvum, quam per vias ſalivales corpore elabitur, quam ut ſufficienti doſi in humores agere poſſit. Nota hinc eſt methodus *mercurium cum opio* ita combinandi, ut ſine magno nunc incommodo remedium perferatur, & infelices hinc vocat aegrotos cl. CRUICKSHANK, qui, cum opium ipſorum naturae repugnet; hac combinatione *mercurii cum opio* uti non poſſunt. Vid. CLARE, *Eſſai on the cure of abſceſſes by cauſtics aud of the treatement of Wounds and ulceres, with obſervations on Some Improvements in Surgery, alſo a new method of introducing Mercury into the circulation for the Cure of Lues venerea. London* 1779. Quare & cl. SCHWEDIAUR, ſi ſub uſu *mercurialium*, inquit, ſymptomata oriantur *irritationis generalis*, ſuſpendenda ſunt illa per quoſdam dies, & *opii* doſis ingerenda, vel ſi *inflammatoria* diatheſis obſervetur, venaeſectio iniſtituenda eſt. *L. c. Ch. XI.* Cl. quoque FABRE ait: „ Il ya des malades, dont le tempérament eſt tel que le mercure ne peut pas déterminer en eux le mouvement de la Criſe, & les évacuations qui en ſont les ſuites, dans la juſte proportion qu' il faut, pour opérer la dépuration de la maſſe du ſang. Dans les uns, ce mouvement & ces évacuations ſont trop lentes & inparfaites; dans les autres, elles ſont tumultueuſes & trop abondantes. Dans ces cas particuliers, on éprouve ſonvent que des reme-

des pris dans le regne végétal, réuſſiſſent beaucoup mieux que les mercuriels. La guériſon du Baron de HUTTEN, dont la maladie, aprés *onze* traitemens infructueux par les frictions mercurielles, céda au bois ſudorifiques, en eſt un exemple ". *Traité des maladies vénériennes*, *par M.* FABRE, *quatrieme Edition*. *Paris* 1782. *p.* 274. Hinc & MICHAELIS, *opio* prae *mercurialibus* fidendum eſſe apud *ſcorbuticos venereos* monet, quos ob temporis moram non ſemper a ſcorbuto curare poſſumus, antequam ad luem curandam deſcendamus. Quidquid ſit, in eo poſiti ſumus, ut mereatur *opium* ulterius a Medicis practicis in experientiam trahi, & cum huius mihi in *Clinica Ticinenſi* copia data ſit quamplurima; ſuo tempore, quid haec nobis magiſtra reſponderit, cum Lectoribus communicabo; quibus praeſentem diſgreſſionem, brevemque *opii* in morbis venereis hiſtoriam non ingratam fore confido.

BURCHARDUS FRIDERICUS MŮNCH
CELLENSIS

DE

BELLADONNA

EFFICACI IN RABIE CANINA
REMEDIO.

Goettingae 1781.

SECTIO I.

Belladonnae, in rabie canina, hiſtoria, uſus, & quibus morbi ſtadiis, & quae Plantae partes adhibitae ſint.

§. I.

QUum a tot tantiſque in hac re viris, diſtinctiſſimiſque characteribus planta, de qua hic acturus ſum, iam deſcripta ſit, multis illam verbis denuo deſcribere, non e re mea putavi, potius brevibus tantum commemorare, eam me hic intelligere plantam, quam LINNAEUS *Atropam Belladonnam* appellat, *cauleque herbaceo*,

foliis ovatis & integris praeditam eſſe dicit (*a*) quam & alio loco (*b*), nec non HALLERUS (*c*) deſcribit. Inter veteres quoque iam a CONR. SICELIO (*d*) ut inter recentiores, a Cl. FRID. GMELINO (*e*) clare & diſtincte deſcriptam habemus, neque Commentationem *Viri exper.* RULINGII (*f*) ſilentio praetermittendam eſſe cenſeo, ita ut his dilucidis muniti deſcriptionibus, eo minus ſolliciti ſimus, ne quis illam cum aliis ſimilibus commutet plantis, quod quidem GATAKERO (*g*) accidit, qui illa cum *Solano nigro Linn.* commutata, hoc in ulceribus cancroſis, aliiſque doloroſis affectibus, nec ſine fructu uſus eſt.

§. II.

Verum enim vero, quanquam veterum libros, quos de uſu huius *Belladonnae* adverſus

(*a*) In Syſtem. vegetab. p. 185.
(*b*) Speciebus Plant. p. 260.
(*c*) Enumerat. Plant. Helvet. p. 507.
(*d*) Diatribe Botan. med. de Bellad. ſive Solano furioſo.
(*e*) *Allgemeine Geſchichte der Pflanzengifte Nürnb.* 1777. pag. 289. & *Abhandlung v. giftig. Gewächſen* &c. Ulm. 1775. pag. 118.
(*f*) *In den Goetting. gemein. Abhandl. Ann.* 1773. *Stück* 74. ſeq.
(*g*) Obſerv. on the internal uſe of the Solanum.

rabiem caninam & hydrophobiam egiſſe ſuſpicarer, ſaepius evoluiſſe non nego: non poſſum, quin fatear pauca tantum me reperiſſe, indeque iure quodam colligi poſſe mihi videtur, antiquioribus temporibus rarum huius remedii adverſus hunc morbum fuiſſe uſum, cum alias veroſimile non ſit, plane nullas ſuper hac re obſervationes in veterum ſcriptis reperiri, praeſertim cum iſte morbus omnium omnino hominum, imprimis medicorum, oculos nunquam non in ſe converterit.

§. III.

Auctorem huius remedii ignotum eſſe, non adeo mirum videbitur conſideranti, plurima nova remedia caſu quodam fortuito eſſe inventa, ut auctores ipſorum de iis gloriari non poſſint; quamquam altera ex parte ſimilitudines etiam quorundam morborum inter ſe comparatae occaſionem, inveniendi remedia, praebere poterant, quibus medici ex nota remedii in certis morbis virtute aliam nondum cognitam in ſimili morbo efficere adducerentur. Quae quidem forte etiam fuit cauſſa, quam ob rem *Belladonna* adverſus rabiem caninam adhiberetur. Morſus enim ſerpentum veneno armatorum, ſcorpionum, aranearumque quodam modo cum morſu canum ra-

bidorum comparari poteſt; adverſus illum vero, PLINIO (*a*) & APULEIO (*b*) referentibus, iam tum *Belladonnae* foliis cum oleo contuſis, externe & quidem optimo cum ſucceſſu uſi ſunt, eodem PLINIO (*c*) narrante, *aſpides*, *Serpentum venenatorum ſpecies*, *modo Belladonnae herba contactae*, *ſtatim necatae ſunt*. Ab externo vero eius uſu, quam facile erat tranſire ad internum!

Eadem quoque via ſimilitudinem quandam hydrophobiam inter & melancholiam atque maniam detegere licet. Primo prioris morbi ſtadio omnia ſymptomata cum poſterioribus ſunt communia. *Suſpiria*, *triſtitia*, *ſolitudinis amor*, SWIETENIUS inquit (*d*) *ſunt omnia ſymptomata melancholica*, atque in *Ephemerid. nat. cur.* (*e*) caſum relatum legimus, quo hydrophobia, hydrophobiae ex contagio ortae omni reſpectu ſimilis, melancholiam, ſolam praecedentem, excipiebat. In curanda vero melancholia & mania iam dudum *Belladonnae* vim novimus ſalutarem,

R 3

(*a*) In Hiſtoria Plant. Vol. I. pag. 679.
(*b*) De Herbis Cap. 22. & 74.
(*c*) L. c.
(*d*) In Comm. ad Aphoriſ. BOERHAVII T. III. p. 573.
(*e*) Obſerv. 220. p. 455.

ideoque & *Ill. Equ.* MURRAY (*a*) *praeceptor pie colendus , cognationem rabiei caninae cum melancholia & mania , anſam dediſſe in utroque morbo Belladonnam explorandi arbitratur .*

§. IV.

Sed ne iuſto diutius in his morer , cum plures adhuc viae excogitari poſſint , quas quis ingreſſus in uſum huius remedii incidere potuiſſet , iſta pauca tantum , quae de uſu huius remedii in hoc morbo certa atque explorata habemus , afferam .

THEODORUS TURQUETUS DE MAYERNE , regis Magnae Britanniae Archiater , ſub initio ſaeculi decimi ſexti florens , medicorum primus fuit , qui uſus huius remedii in hydrophobia mentionem fecerit . Is enim *ſpecificum* , ait (*b*) , *contra hydrophobiam decoctum baccarum aliquot Solani maniaci dicitur* .

Hoc vero remedium inter alia , quae contra hunc morbum ſuadet , leviter tantum attingit , neque magis auctor illius eſſe , quam ipſe experimenta cum eo inſtituiſſe videtur . Cognoverat

(*a*) Apparat. Med. tam ſimpl. quam compoſ. Vol. I. pag. 440.

(*b*) In Praxi Med. ſyntag. alt. Tract. de morb. ext. pag. 136.

ſorte tamquam remedium empiricum, quod a nonnullis utiliter exhibitum erat.

Hoc excepto, alios eo uſos eſſe, nulla in libris apparent veſtigia. Quod ſi vero alii auctores in libris practicis idem adducunt, omnes omnino MAYERNE auctoritatem ſequuntur. Atque haec quidem ſunt, quae de veterum huius remedii uſu referenda habeo. Forſan vel a multis aliis ſpecificis, quae deinde laudabantur, expulſum, vel ab aliis, non recte, ideoque ſine ullo levamine, in hoc morbo curando adhibitum, tanquam inutile reiectum eſt. Veritati vero proxime accedere videtur ea opinio, qua poſtea ſingulis hominibus id nequaquam ignotum fuiſſe, putatur, qui quidem ſui ipſius utilitate, quam inde capere ſtudebant, commoti celarent, uti ſaltem ex ratione, qua iterum retectum in vulgus manavit, ſatis certo patere videtur. Nam remedia ſaepius per multa ſaecula eodem modo arcana eſſe habita, uſque dum in honeſti viri manus inciderent, illa longius abſcondere nefas putantis, aut dum cuiquam ſive fraude ſive pecunia, illa expiſcari atque divulgare contigerit, pluribus exemplis docemur.

§. V.

Eodem quoque modo *Belladonnae* uſum contra rabiem caninam denuo retectum, omni-

buſque notum eſſe factum, ea, quae ignotus quidam in *Hannoverano promptuario* (a) refert, teſtantur; ſunt fere haec:

Metallifoſſorem quemdam (Bergmann zum Schichtenhäuſern am Oſterwalde im Amte Lavenſtein) iam multo inde ab XXXIII. annis cognitum habuiſſe arcanum, quo & homines & animalia, canum rabidorum morſu laeſa, contra inſaniam & hydrophobiam inde timendam tueri potuiſſet, eiuſque remedium fuiſſe quemdam pulverem, quem, ne innoteſceret, ſecrete praeparatum, unicuique poſtulanti, pro parata pecunia diſtribuiſſet. Saltuarium quemdam in tractu Göttingenſi familiariter cum illo metallifoſſore viventem, arcanum ex ipſo elicere ſtuduiſſe, finemque propoſitum, magno adhibito ſtudio, tandem nactum, ſimulque expertum eſſe, illum, Belladonnae radicem circa St. Ioannis feſtum inveſtigatam praeparare; cui quidem ſaltuario nos debere, hoc remedium publici iuris eſſe factum, auctor huius commentationis ſibi perſuadet.

Equidem vero eadem fide lectoribus nuntiare poſſum, illud remedium iam anno 1728. ab eodem fodinarum operario cuidam machinarum directori Clauſthalienſi *Hanſen*, dono aliquo

---

(a) Ann. 1768. pag. 601. ſeq.

dato, eodem modo, quo poſtea in *promptuario Hannoverano* 1763. ann. deſcriptum fuerit, monitum, ne hac radice, quippe quae venenum eſſet uteretur, nunquam rem ipſam experiri auſum eſſe. Quam quidem notitiam *Patri meo optimo*, cum *quo* iam mortuus Director HANSEN anno 1769. per litteras communicaverat, debeo, indeque etiam didici, metallifoſſori huic RICHTERI nomen fuiſſe.

§. VI.

Quibus ex relatis itaque apparet, huius remedii uſum contra hunc morbum, iam ſub initio huius ſaeculi in noſtris regionibus fuiſſe cognitum, neque tamen a medicis ipſis tentatum eſſe, ſed in paucorum privatorum hominum notitia occluſum manſiſſe, uſque dum, uti iam commemoravi, in promptuario Hannoverano, anni 1763. a vener. SCHMIDT, verbi divini miniſtro tunc Luttienſchneenſi, vulgaretur, qui quidem, unde acceperit, non profeſſus eſt, haud dubie tamen vel ab ipſo fodinarum operario, iam ſaepius nominato, vel per alios ab eodem reſciviſſe videtur. Dubius adhuc eſt in iſta commentatione, quodnam nomen plantae tribueret, tandem *Solanum maius* appellat, radiciſque internum commendat uſum, doſin vero ſatis incerto modo,

menſura parvorum cochlearium vel adhuc minori, non pondere, definit. Ad infinitum quidem obſervationum numerum provocat, quarum tamen nullas ſingulas allatas eſſe, vehementer dolendum eſt, in quibus id remedium in canina rabie, & ad avertendam eam, optimo cum ſucceſſu exhibitum fuiſſet. Sequenti deinde anno eadem commentatio inſerta eſt in *den Studtgardtiſchen ökonomiſchea Auſzügen* (*a*). Anno 1768. (*b*) *idem* remedium iterum commendando, plantaeque verum nomen *Belladonnae* imponendo, priores eius effectus confirmat, aliaque experimenta in hominibus & animalibus inſtituta, ſubiungit, neque tamen *ſingulas obſervationes*, vel *doſin mutatam* invenimus.

Exinde quidem, huius remedii efficacia uſuſque magis magiſque innotuit atque diffuſus eſt, nec alia res, niſi doſis haud ſatis certo definita, metuſque, ne plantae virus noceret, multos ab illa propinanda retinuit.

§. VII.

Cum *Pater meus optimus*, tunc temporis iam in aliis morbis cum Belladonna tentamina

(*a*) Ann. 1764. B. 4.
(*b*) *Hannöv. Magazin.* 33. *Stück* pag. 513. ſeq.

inſtituiſſet (*a*) atque eius vim ita expertus eſſet, ut de ipſius utilitate, dubitare nullo modo poſſet, neque contra rabidorum canum morſus, eiuſque vires explorare neglexit; nec defuit occaſio, quippe *qui* in regione habitet, ubi ille morbus ſaepius canes invadit, quaeque inter paludes multamque arenam ſita ob maiorem longiuſque durantem aeſtivi caloris vim, imprimis hunc morbum promovere videtur. Prima quidem experimenta anno 1767. inſtituta, deinde, occaſione oblata, continuavit, denique in promptuario Hannoverano (*b*) primas in lucem edidit obſervationes, ubi non ſolum *radicem*, ſed etiam *folia Belladonnae* commendans, utriuſque doſin, & hominum & animalium aetatis ratione habita, pondere conſtituit, rationemque utendi praeſcribit, certis ſingularibuſque obſervationibus additis, ſecundum quas id remedium optimo cum effectu contra hunc morbum exhibuerat. Multo frequentiorem deinde occaſionem continuandi ex-

(*a*) Haec Tentamina memoriae mandata ſunt in *Hannöverſchen Magazin.* ann. 2767. *Stück* 64. & 65. ann. 1768. *St.* 67. & 105. ann. 1769. *St.* 14. 15. 62. 90. 94. 95. ann. 1770. *Stück* 25. 80. 81. 82. ann. 1773. *Stück* 46. 47. ann. 1774. *Stück* 51. 52. 53. & ann. 1775. *Stück* 68. 69. & 70.

(*b*) Ann. 1768. *Stück* 38.

perimenta nactus eſt, pauciſque menſibus in- teriectis, ea quae porro fecerat, in eodem promptuario retulit (*a*).

§. VIII.

His experimentis, & medicos, & alios adductos, eadem poſt hac imitatos eſſe, probe ſcimus, quorum vero nullus obſervationes edidit, *viro exp.* RULING (*b*) excepto, qui puellae, canis rabidi morſu admodum vulneratae, ex Belladonnae foliis praeparatum pulverem tanta cum utilitate propinavit, ut poſtea valetudine uteretur proſpera.

Experimentorum, quae *Patri venerando* literis nuntiata ſunt, ea tantum commemorabo, quae b. SCHROEDER *Archiater* d. octavo menſ. Ianuar. & d. nono Auguſt. anni 1770. cum *ipſo* communicavit, qui quidem *Belladonnae radice* in quatuor hominibus ſanandis, quorum tres a rabido cane, unus a fele vulnerati erant, eo ſucceſſu uſus eſt, ut omnes ſani periculo evaderent.

Quae feliciter iam facta experimenta *Pa-*

(*a*) Eod. anno *Stück* 103.
(*b*) *In Goettingſchen gemeinnütz Abhandl.* ann. 1773. *Stück* 78. pag. 618. ſeq.

trem, ne ab iis ceſſaret, admonuerunt, neque tamen prius *ipſi* contigit, ut ea publici faceret iuris, quam anno 1779., quo *Ill. Archiatri* RICHTERI *praeceptoris pie colendi*, bibliothecae chirurgicae (*a*) inſererentur, in qua undecim obſervationes una cum accurata huius remedii praeparandi, applicandi, & exhibendi deſcriptione expoſitae ſunt, ubi non ſolum tamquam praeſervationis, ſed etiam curationis remedium optime ſe praebuerat. Obſervationes, quarum graviſſimae & dilucidiſſimae tantum enumeratae ſunt, iam tum centenarium longe exceſſerunt numerum.

§. IX.

Atque haec ſunt, quae de uſu & efficacia huius remedii contra adeo peſtiferum morbum hucuſque, & in priſca & in recentiori aetate, notata ſunt, ex quibus facile apparet, noſtris demum temporibus id remedium inprimis adhibitum eſſe; nec longiori defenſione uſus eius indigere videtur, cum iam tot experimenta, optimos eius effectus declarantia, ſatis ſuperque defendere poſſint. Quae quidem cum ſaepius meis

---

(*a*) V. *Band. Stück* 2. pag. 377. ſeq. & *Stück* 3. pag. 557. ſeq.

viderim oculis, tanto magis meum eſſe duxi, adiuvare diffuſionem remedii, quod contra morbum, ex omni parte atrocem, certo tuetur, eidemque etiam medetur.

§. X.

Ad hoc uſque tempus *Belladonnae* vires contra rabiem caninam empirico tantum modo tentatae erant, atque plurima, quae cum ipſa inſtituta ſunt, experimenta, eo ſpectaverunt, ut hydrophobiam ab iis, qui a cane rabido aliove animale morſi eſſent, arceret, ideoque remedii prophylactici inſtar fuit, neque tum haud inſignem famam aſſecuta eſt.

Nec vero ſemper hoc tantum modo, ſed interdum etiam ſanandi cauſſa, exhibita eſt Belladonna. Atque *Pater* quidem *optimus* quoſdam, in quibus morbus fere iam eruptus ac in primo ſtadio eſſet, periculo eripuit, quarum obſervationum duas in *Ill. Archiatri* RICHTERI bibliotheca chirurgica (*a*) dedit.

Neque tamen eadem remedii vis ſalutifera tum, cum morbus ingraveſceret, horrendaque hydrophobiae ſigna iam apparerent, cognita eſt, aut nullae ſaltem a quodam litteris conſignatae

(*a*) V. *B. St.* 3. p. 563.

ſunt obſervationes, praeter eas a venerando SCHMIDT (*a*) commemoratas, ubi affirmat, nec iis, qui iam tanto correpti erant furore, ut vinculis conſtricti tenerentur, Belladonnam, quamvis vi ingeſtam, defuiſſe immo plene redintegraſſe ſanitatem, quanquam haud certo indicatur, num vera hydrophobia adfuerit. *Venerandus* quidem *pater* finem, in quem intenderat, in duobus miſeris haud attigit. Quatenus vero vel in hoc morbi momento aliqua ſpes, Belladonna nec ſine fructu utendi, concipi poſſit, in alium locum, ubi in huius morbi naturam eiuſque curationem paululum accuratius inquirere animus eſt, differam.

Experimenta vero huius remedii bene cedentia non modo ad cavendum morbum, ſed ad ipſum etiam morbi momentum, quo iam haud mediocribus veneni perturbationibus affectum erat corpus, extendi, inde conſpici licet.

§. XI.

Omnes huius Plantae partes, ſemine, cuius uſus nullibi commemoratus reperitur, excepto, ad eundem finem adhibitae ſunt. *Baccas*, earumque quidem *decoctum* commendavit *de* MA-

(*a*) *Hannoev. Magaz.* ann. 1768. *St.* 33. p. 513.

YERNE, neque tamen earum numerum, vel decocti menſtruum, eiuſque quantitatem, nec magis, num baccae unacum ſemine, vel eo ſeparato, adhibendae eſſent, praeſcripſit; quae quidem, coniuncta cum baccarum imprimis venenoſa vi, quarum incautus uſus iam multum noxae adtulit, denique omnis obſervationum, cum hac plantae parte inſtitutarum, penuria, me impediunt, quo minus ad experimenta cum eadem proſequenda ſuadeam.

Sed *radicis* in hoc morbo fuit praecipuus & creberrimus uſus, quam ſupra nominatus *metallifoſſor*, iam optimo cum ſucceſſu propinavit. Qui deinde experimenta coeperunt, fere omnes *radice* uſi ſunt, ac *Vener.* SCHMIDT refert, permulta fauſte experimenta, quibus, in ea commendanda, nititur, cum hac eſſe facta. Eodem modo *Parens optimus* non ſolum ſtatim ab initio, ſed poſtea quoque *ea* uſus eſt, atque bono eventu, quem experimenta habuere, aliorumque narrationibus, qui eundem experſi erant, eo adductus eſt, ut hanc plantae partem contra hunc morbum adhibendam imprimis ſuaderet.

Sed praeter *radicem* plurimum contra hunc morbum exhibitam, eadem quoque experimenta cum *Belladonnae foliis* inſtituta ſunt, nec minorem exſeruerunt virtutem. Notabile vero eſt illud, *Belladonnae foliis haud pares cum radice*

ineſſe vires. Quod ſi igitur utriſque eadem efficere vis, folia altero tanto maiori doſi, quanto radicem, praebeas neceſſe eſt. Semper quidem hanc rationem *in foliis utendis* ſecutus eſt *Parens optimus*, nec eo fine propoſito aberraſſe, nonnulla probant experimenta. Quod idem etiam *vir. exper.* RULINGII experientia confirmat, qui a puella, canis rabidi morſu in ſuperioris brachii parte uſque ad os laeſa, Belladonnae foliis adhibitis, omnem ſequentem morbum avertit.

SECTIO II.

Vires & effectus Belladonnae ſingulares in hoc morbo.

§. XII.

Cum autem *Belladonnam* acre in ſe continere virus ignoraret nemo, magnaque exemplorum copia, ubi haec planta & ipſa incaute, tamquam medicamentum, adhibita, & eius baccarum uſus improvidus quam maxime nocuiſſet, litteris conſignata eſſet: haud mediocris inde uſque ad noſtra tempora, illa utendi, exortus eſt metus. Nec ſane inficiandum eſt, pravum atque incautum huius plantae uſum multum detrimenti attuliſſe, neque illi eatenus, ut multis

aliis uſitatis iiſque efficaciſſimis medicamentis, veneni nomen immerito tribui. Ex quo vero remediorum, quae venena vulgo putabantur, virtutes accuratius contemplari atque diiudicare licuit, ex quo convicti ſumus, his cum prudentia ac diligentia applicatis, omnium eſſe efficaciſſima; etiam in Belladonnae uſum vanum & nimium timorem abiicere ſenſim coepimus, atque tantum abeſſe, ut detrimenta hinc inferrentur, ut potius magno cum fructu exhiberi poſſit, optimi ſatis ſuperque oſtenderunt ſucceſſus.

Enim vero cum mihi perſuaſum ſit, chemicam plantae analyſin parum lucis ad eius ſanandi vires atque efficaciam indagandam afferre, hanc ut inſtituem, omnino nullam dedi operam, idque eo magis, cum iam GEOFFROY (*a*) atque OETTINGER (*b*) fere omnia, quae ad hanc rem pertinent, confecerint, ad quos igitur lectorum eos, qui accuratiorem huius rei notitiam acquirere cupiunt ablego.

§. XIII.

Belladonna itaque cum omnium medicorum teſtimonio *planta ſit narcotica*, atque propter

(*a*) In Materia Medica.
(*b*) In Diſſert. de Bellad. tamquam Specifico in Cancro. Hal. 1739.

vires narcoticas ſtupefacientes, circa omnes eius partes diſtributas, maximos producat effectus; eadem, nimia doſi vel ſecundum falſas indicationes data, omnia iſta mala, a multis iam notata, imprimis vero ab *celeb.* GMELIN (*a*) MATHIAE (*b*) DARIES (*c*) aliiſque collecta concitare poteſt.

Noxiis vero his effectibus, qui non niſi ex perverſa utendi ratione originem ducunt, plane omiſſis, eos tantum in medium proferam, qui Belladonnae & radice & herba rite adhibita, obſervati ſunt.

§. XIV.

Remedio ſcilicet ſumpto, plerumque aliquot horis poſt, in aliis forte citius, in aliis ſerius, ſequentes hoc quidem ordine ſe exerunt mutationes. Et primum quidem aegroti ſingularem quamdam oris, linguae imprimis & faucium ſiccitatem ſentiunt; in deglutiendo gravantur, nec ipſa fluida ſine omni moleſtia abſorbent, ſiccos vero cibos non niſi permoleſte

(*a*) Geſchichte der Pflanzengifte pag. 289.
(*b*) Hannöv. Magaz. 1771. St. 25. ſeq.
(*c*) In Diſſ. de Atropa Belladonna. Lipſ. 1776. p. 20.

deglutiunt. Quam oris ſiccitatem fere ſemper ſitis, ſaepius magna & ad bibendum multum incitans, comitatur. Oculi ſunt rigidi, immobiles, protuberantes, omnia quaſi nebula aliqua offuſa cernunt; res ſingulae ac propiores quaſi duplices, remotiores contra clariores apparent; interdum oculorum ardor, interdum preſſio, ut ab inſperſis arenulis, rarius dolor totidemque rubedo adeſt; pupilla fere ſemper dilatata. Crebro ſentiunt vertiginem, imprimis corpore erecto. Reſpiratio plerumque libera nec impedita, interdum vero anxietatem quamdam, mox praetereuntem, percipiunt. Pulſus eſt parvus ac celer. Paulo poſt langueſcunt, laſſi fiunt, ad ſomnum proni; membra ipſis ſunt gravia, omneſque motus magna cum opera peragunt. Haec ſymptomata augentur, ſomnus illos occupat, plerumque placidus & reficiens. Initio horripilationes experiuntur vagas, pallor faciem occupat, mox caleſcunt, vultuſque rubore ſuffunditur. Tunc temporis, magna doſi data, interdum delirant, nec mentis compotes. Cutis, antea dura & ſicca, fit mollis & madens, pulſus plenus, & tranſpirationem auctam *copioſus* nunc ſequitur *ſudor*, cum quo omnia, modo commemorata, ſymptomata decreſcunt, ſomnuſque levamen novaſque vires adfert.

§. XV.

Sudor, qui huius remedii uſum fere ſemper excipit, *eſt princeps atque frequentiſſima excretio*; praeter illam etiam *urinae ſe = & excretionem crebro auctam* invenimus, quam quidem ſaepiſſime *Pater venerandus* obſervavit, atque ex medicis, qui vires huius plantae tentabant, inter alios, *quam plurimum* inquit GREDING (*a*) *crebrius largiuſque urinae profluvium excitavit Belladonna*, & GATAKER (*b*) *quum Belladonna urinae proflvuium & perſpirationem valde augeat, adverſus hydropem feliciter adhiberi poſſe putat*, & DARIES (*c*) aſſerit *qualitatem diureticam cum omnibus Solanis communem habet Belladonna*. Interdum *diarrhoeam* inde excitari obſervatum eſt, cuius rei nonnulla GREDING (*d*) nobis ſuppeditat exempla, *levis diarrhoea*, inquiens, *brevi plerumque tranſiens, ſaepe obſervabatur poſt uſum Belladonnae, interdum ſic & alvi notabilis laxitas per totam curam perſpicua erat*; neque

(*a*) Ludwigii Adverſ. med. pract. Vol. I. P. IV. pag. 695.
(*b*) Obſerv. on the internal uſe of Solanum, p. 82.
(*c*) Diſſert. de Atropa Bellad.
(*d*) L. c. pag. 697.

in *Parentis optimi* obſervationibus hanc evacuationem omiſſam, immo ſaepius commemoratam invenimus. *Excretio*, quae rarius occurrit, cuiuſque praeter GREDING (*a*) mentionem fecit nemo, eſt *ſalivae aucta*, quam nunquam vero nimiam in tribus tantum aegrotis, nec ullas inſignes mutationes efficientem, obſervavit.

Atque hi ſunt vulgares poſt Belladonnae uſum notati effectus, qui quidem nec tum, cum adverſus caninam rabiem adhibeatur defuerunt. Praeter hos ſaepe etiam *tumor* eius partis, cui canis rabidi venenum admotum erat, apparuit, cum vago atque tenſivo dolore coniunctus, ad proximas uſque partes ſaepe ſe diffundens. Singulare ac huius ſymptomatis notabile, ex quo etiam veriſimile fit, non veneno ſolo, ſed ſimul Belladonnae vi id effici, illud eſt, quod tunc remedium hoc, ſudorem nunquam excitavit, quamvis magnis doſibus, datum eſſet; continuatis vero Belladonnae doſibus tumor ſemper evanuit, eoque non amplius apparente, recurrit ſudor. Symptoma autem hoc plerumque tum demum, cum venenum per ſalivam ſoli epidermidi, ſine alia laeſione, applicitum eſſet, *Parens optimus* vidit. Quodſi

(*a*) L. c. pag. *646. 656.* & *684.*

vero tumor iam antea adeſſet, *Belladonnae* prima quidem doſis eundem ſemper auxit, ſequentes *autem rurſus imminuerunt*, ac tandem ſudor rediit. In nonnullis etiam infantibus; quibus canis rabidi ſaliva venenata in diverſis corporis partibus admota erat, Belladonna adhibita, praeter tumorem *idem* obſervavit ruborem, qui una cum tumore totum corpus occuparet, Belladonnae vero continuo uſu rurſus evaneſceret nec optimos effectus impediret.

SECTIO III.

Miaſmatis hydrophobici origo, communicatio, prophylaxis qualis, & quid valeat Belladonna.

§. XVI.

IN tanta obſervationum copia, quae efficaciam Belladonnae contra rabiem caninam luculenter ſatis demonſtrant, quanquam, quo tandem modo eadem in hoc morbo effectus producat, explicare ſuperſedere poſſe videor: tamen commemorando, quinam ſint veriſimiles huius medicamenti in hoc morbo effectus, qualeſque eius vires imprimis requirantur ad ea efficienda, quae uſus eius nos docuit, egregiam Belladonnae virtutem magis confirmari perſuaſus ſum,

ac ſaltem magis probari ſpero, dum illam non ſolum, tanquam remedium empiricum, commendari poſſe, ſed etiam indicationibus, quae in huius morbi curatione adeſſe ſolent, convenire oſtenderim. Quantam igitur & in indicatione prophylactica & curativa utilitatem adferre poſſit, exponere ſtudebo.

§. XVII.

Cura prophylactica in eo quidem verſatur, ut arceat *hydrophobiam*, adeoque ubi ipſa locum habere poteſt, *curativam* reddat ſupervacaneam. *Cauſſa proxima*, quae morbum, brevi aut ſero ingruentem minatur, eſt *miaſma ſui generis*, cuius vero naturam non, niſi ex effectu, cognoſcimus. Primum virus hoc in quorundam animalium corporibus, praeſertim canum, eorumque, quae ad idem genus pertinent, v. c. vulpium, luporum &c. rarius in alius generis animalibus paratur, in quibus morbum quemdam, vulgo *rabiem*, *ſeu hydrophobiam* dictum, excitat, quod virus ab iis etiam multis modis transferri poteſt in homines aliaque animalia, quae omnia, cum primum morbus eruperit, aliis eundem inferre valent. Atque in canibus ſaepiſſime ille morbus ſponte naſcitur, qui quum ob commoda, quae hominibus praebent, & ob

ſocietatem inter eos frequentius verſentur, plerumque cum illis communicant venenum.

Modorum vero, quibus id fieri ſolet, magna eſt varietas, quorum frequentiſſimus omniumque periculoſiſſimus eſt *morſus*, ubi ſaliva, cui venenum imprimis ineſt, immediate vulneri recenti inſeritur, adeoque veneni ſuſceptio certiſſima; quamquam & *recens ſaliva, modo epidermidi applicata*, contagio inficere poteſt, quoque tenerior eſt eius loci epidermis, eo facilius venenum recipit; ideoque maximo cum periculo ori applicatur. Sunt exempla, quae per oſcula hunc morbum propagari tradunt, quorum unum SCHENCKIUS (*a*) refert, *virum ex patricia gente prius oſculatum eſſe canem rabidum, quam in aquam immergeretur, poſteaque hydrophobia correptum, mortuum eſſe*. PALMARIUS (*b*) commemorat *ruſticum quemdam, brevi ſe moriturum morbo hydrophobico cognoſcentem, unicum hoc ſolatium ab illis, qui vinculis tenebant eum, obnixe rogaſſe, ut ante mortem liberos oſculari liceret, quod cum conceſſum eſſet, paulo poſt periiſſe hoc morbo; verum liberos eius ſeptimo die poſt eodem morbo correptos eſſe omnes*. Sed &

(*a*) Obſerv. Med. Lib. VII. p. 848.
(*b*) Morb. contag. p. 266.

aliarum partium epidermidi recens animalis rabidi ſaliva applicata contagionem efficere poteſt, de quo obſervationes *in Ephemerid. nat. curſ.* (*a*), *in Phyloſophical Tranſactions abrigd* (*b*), *in Donato* (*c*), nec *venerando Patri* idem obſervandi occaſio defuit (*d*). Sed & ſaliva iam exſiccata aliquantum temporis hanc vim retinet, cuius rei exemplum nobis dat SCHENCKIUS (*e*). *Puer abſtergebat gladium rubiginoſum, quo ante plures annos canis rabioſus confoſſus fuerat. Mala fortuna digito ſuo infligebat vulnuſculum, atque inde periit hydrophobus.* HILDANUS (*f*) de *ſartrice* narrat *quae lambendo humectaverat ſuturas chlamydis, morſibus rabidi canis iam longe ante ſciſſae, in hac autem ſimpliciter filum, per veſtes, ſaliva huius animalis infectas, adactum mordendo abruperat, tertio die ex poſt in rabiem incidit.*

Quanquam SAUVAGES (*g*) *ſola ſaliva* neque aliis humoribus inquilinis hunc morbum pro-

---

(*a*) Decur. I. ann. 6. & 7. Obſerv. 142. p. 204.
(*b*) Tom. V. p. 366.
(*c*) De Med. hiſtor. mirab. p. 589.
(*d*) Ill. RICHTER *Chirurg. Bibl. V. B. 3. St. pag.* 557.
(*e*) Obſ. med. L. VII. Obſ. 87. fol. 116.
(*f*) Obſ. Chirurg. Cent. I. Obſ. 86. p. 62.
(*g*) Diſſ. ſur la Rage p. 32.

pagari poſſe, contendit, tamen aliae eaeque crebriores obſervationes huius rei contrarium probare videntur, quarum nonnullas tantum recenſebo. Sic poſt *lac hydrophobicae vaccae* guſtatum hunc morbum propagari viderunt Timaeus a GULDENKLEE (*a*), & BUSCHER (*b*). *Canis, hominis hydrophobici ſanguine hauſto, eodem morbo correptus eſt* (*c*); porro *ab eſu carnis animalis, quod rabie defunctum erat* (*d*). Rariſſima vero omnium contagia, ſi modo fides ipſis eſt habenda, ſunt iſta, *ubi ſola inſpiratione venenum illatum ac ſuſceptum* eſſe dicitur, quae quidem nobis in *Recueil period.* (*e*), *Journal de Med.* (*f*), *& a Coelio* AURELIANO narrantur.

Ex his igitur diverſas contagii rationes intelligere licet, quarum tamen ſemper *ea, qua rabioſi animalis morſu virus infertur manet frequentiſſima atque uſitatiſſima.*

(*a*) In Caſ. med. Lib. VII. Cap. 23. p. 327.
(*b*) *Hannöv. Mag.* 1763. *St.* 89. p. 1419.
(*c*) Vide LEMMERY in Hiſt. acad. reg. Scient. Pariſ. ann. 1707. pag. 31.
(*d*) Vid. FERNELIUS de abdit. rer. cauſ. Lib. II. Cap. 14. p. 223.
(*e*) Tom. VII. p. 413.
(*f*) Tom. VIII. p. 316.

§. XVIII.

Simul ac vero *vulneri iniectum eſt virus*, *nervos irritat*, ex quo ſpaſtica fibrarum muſcularium, ab ipſo contactarum, oritur contractio, quo ſpaſmo illud vulneri quaſi infigitur. Haec autem ſpecifica eius eſt qualitas, ibi aliquamdiu commemorari poſſe, priuſquam corporis humoribus ſe aſſimilat, in ipſum penitius penetrat, adeoque diriſſimum gignit morbum. Virus autem *ſtimuli vim habere*, teſtantur effectus ſpaſtici qui ſuccedunt. Initio quidem imbecilliorem exerit vim, ſed mutationes, quibus obnoxium eſt, priuſquam furere incipit, ignoramus; illud tantum certo dici poſſe videtur, nunquam iners atque otioſum corpori inhaerere quanquam primi effectus adeo leves ſunt, ut nec aegrotus, nec alii eos animadvertere queant. Magna vero eſt temporis, circa quod atrocia progignit ſymptomata, diverſitas; interdum ſtatim aliquot diebus vel menſibus interiectis, vel ut alii volunt, poſt multos demum annos (*a*). *Diverſitas haec*, BOERHAVE (*b*) inquit *pendet a calore tempeſtatis anni*, *a temperie hominis morſi*, *a diverſo victu*, *medicamentiſque adhibitis*. Atque

---

(*a*) In Miſcell. Curioſ. Decur. I. ann. 9. pag. 117.
(*b*) Aphoriſm. §. 1137.

hac veneni qualitate, qua per aliquod tempus ſine notabili effectu corpori ineſſe poteſt, inprimis cura prophylactica nititur.

§. XIX.

Quod ſi certum atque exploratum habemus, virus quamdam ad nervos vim exſerere, illoſque ſtimulare: malis illius effectibus quadruplici modo occurri poſſe videtur.

Primo, *Nervos contra veneni impreſſionem obdurare, obduratoſque ſervare conando*, quod quidem per medicamenta narcotica, nervos ſenſu privantia, effici poteſt, quibus etiam dolores, cauſſis eorum nondum remotis, leniri ſolent.

Secundo, *Venenum eiuſque partes irritantes adeo involuendo*, ut nervos irritare nequeant; quam ad rem externa involuentia remedia, atque imprimis oleum olivarum adhiberi ſolet.

Quod ad *primam curae methodum* ſpectat, quiſque facile intelliget, illam *palliativam* tantum eſſe poſſe. Stuporem enim nervorum continuum ſi quis inferre vellet; via ad corpus deſtruendum uteretur aeque certa, ac ſi venenum libere agere pateretur, accidit quod neque internis neque externis remediis ad propoſitum perveniret.

Nec minus *palliativum* erit, ſi *venenum*

oleoſis remediis involveretur; quis enim poſſet venenum ſemper his vinculis conſtrictum cohibere? Attamen poſterius remediorum genus aliquam habere vim, probant obſervationes, ſecundum quas contra ſerpentum ac ipſum canis rabioſi morſum ea valuiſſe reperta ſunt (*a*). Haec vero duo remediorum genera, palliative adhibita, prodeſſe poſſunt, quatenus tempus atque occaſionem praebent, utendi cura radicali, quae in eo verſari poſſet, ut.

Tertio, *veneni natura ita everteretur, ne ullam vim atque effectum ad corpus, qualem alias venenum producit, amplius exſerere poſſet*, eodemque quaſi modo, quo acidum per alcali, & vice verſa, mutaretur; cui remedio iure meritoque *ſpecifici nomen* imponi poſſet; ſed tale quidquam excogitare uſque ad hoc tempus contigit nemini, & ſane ardua res eſſe videtur, uſque dum propriam huius veneni naturam, cuius vero admodum tenuem habemus notionem, penitus cognoſcere licebit. Omnium vero tutiſſima, unica & commodiſſima ac neceſſaria ea videtur methodus, qua.

(*a*) Vid. Abrahami Vateri Diſſ. de antidoto novo adverſus viperarum morſum praeſtantiſſimo, in Anglia detecto, & Eiuſdem Progr. de Olei olivarum efficacia contra morſum canis rabioſi, experimento Dreſdae facto, adſtructo.

Quarto, id imprimis efficere ſtudemus, ut venenum, quam celerrime poteſt, ex corpore rurſus eliminetur. Brevi enim poſt, veneno applicato, & interdum etiam diutius, certo adhuc vulneri ipſi inhaeret, adeoque illud ex eodem loco tollere optimum eſt. Quod quidem ſemper etiam propoſitum habuerunt omnes medici, diverſo modo viam ingreſſi eo, quo vellent, perveniendi. *Alii* enim *externis* ut remediis venenum ex vulnere eiicerent, operam dederunt, *alii internis* idem efficere tentarunt, quo quidem ſtudio duplex curandi methodus exorta eſt, *altera quae internis*, *altera quae externis eundem finem perſequitur*.

In adhibenda autem *cura externa* eo tendunt ſcriptorum conſilia, ut vel *remediis externis excitantibus maiorem humorum copiam verſus vulnus agant, ſimulque ipſum venenum eliciant*. vel *externis cauteriis potentialibus venenum deleant* vel *continuato externorum remediorum excitantium, ſtimulantium uſu maiorem inflammationem & profuſam ſuppurationem moveant, ut una cum pure venenum evacuaretur*; vel *ligatura veneni reſorptionem caveant, infectaque parte reſecta, venenum quoque a corpore ſeparent*.

Ut vero maior humorum copia in loco affecto contrahatur, varia excitantia tam veteres, quam recentiores commendant medici, ideoque

vulnus ſcarificare, nec non cucurbitulas adhibere, ut ſimul cum ſanguine venenum extrahatur, ſuaſerunt, idque iam a GALENO, DIOSCORIDE, AEGINETA, atque AETIO factum eſſe videmus. Inter alia etiam muriam ſalis marini, acetum, aquam nitroſam, urinam, vinum tepidum, in quo ſal ammoniacum ſolutum erat, eam ob cauſſam praeceperunt, ut his vulnus totum irritaretur, indeque largior affluxus & effluxus efficeretur.

Cauteria potentialia iam a DIOSCORIDE (*a*), tamquam princeps ac tutiſſimum veneni deſtruendi remedium, commendata ſunt, tum ab HILDANO (*b*) qui vero etiam exempla, quibus omnino nihil profuerunt, commemorat.

Vulnus vero excitantibus remediis ad vehementem adducere inflammationem, profuſamque ciere ſuppurationem, recentiorum medicorum probant & ſuadent plurimi; nec aliam ob cauſſam iam DIOSCORIDES cantharidum pulverem externe adhibendi conſilium dat, quo quidem remedio noſtris temporibus iterum uti coeperunt, una cum mercurio praecipitato rubro, qui forma unguenti vulneri inferretur; ideo

---

(*a*) Theriac. Cap. 11. pag. 424.
(*b*) In Obſerv. Chirurg. Cent. 1. Obſ. 86. pag. 62.

Angli quidam vulnus pulvere pyrio explere, eumque incendere iubent. Inter recentiores cl. SCHMVCKER (*a*) imprimis hac methodo feliciter uſus eſt, illamque laudavit, atque obſervationes & *ab ipſo* & ab *Exper.* OPITZ, *doctiſſ.* HOFFMANN & HORN factas adiecit. Atque *ipſius* curandi methodus fere haec eſt; *ut vulnus ſcarificet, ſanguinis fluxum crebris aquae tepidae lotionibus promoveat, poſteaque cantharidum pulverem exhibeat.* Suppurationis quidem quatuor hebdomadum, SWIETENIUS (*b*) vero ſex menſium terminum conſtituit. *Cl.* SCHMUCKER ſimul interne camphoram & nitrum, quamquam minori doſi, propinavit.

Infectarum vero partium *ligatura*, qua veneni reſorptio praecaveatur, iam GALENO, poſt ipſum CELSO, noſtra denique aetate HEISTERO admodum probatur. Partium quae ad vitam ſuſtentandam non neceſſario requiruntur, vel quibus ſine maioribus incommodis careri poteſt, *reſectionem* inter ceteros imprimis SAUVAGES (*c*) & SWIETENIUS (*d*) adhibendam eſſe vo-

(*a*) In chirurg. Wahrnehmungen. Th. II. p. 544. ſeq.
(*b*) In Comment. ad Aphor. Boerhavii Tom. III. pag. 570.
(*c*) L. c. pag. 43. & 44.
(*d*) L. c. pag. 568.

lunt — Atque his variis, adhibitis remediis medicos ſaepius optimum ſucceſſum eſſe nactos, neque itaque omnes has methodos eſſe reiiciendas, ex locis librorum adductis ſatis patet. Quamquam vero illae omnino omnes eo tendunt, ut corpus a veneno liberent, tamen magis aliae, aliae minus probandae eſſe videntur. Methodus, qua ferro candenti venenum in vulnere ipſo deſtruere tentatur, adeo dura ac crudelis eſt, ut noſtrae aetati nullo modo conveniat; neque ſemper ea uti licet, eamque ob cauſſam iam reiicienda, quoniam minus ſaevis ac lenioribus remediis idem obtinere licet.

Partium ligatura, qua veneni reſorptio caveatur, nullo modo admittenda eſt; primum enim fieri non poteſt, ut venenum tam ſubtile cohibeatur ligatura, tum eadem arcte adſtricta, quod quidem neceſſarium eſſet, noxam adferret, neque tamen ſcopus ea attingeretur. Ut vero pars aliqua reſecari poſſit, non medici modo conſilium, ſed aegroti etiam conſenſus neceſſario requiritur, quem vero ſaepius renuet. Quod ſi autem vulnus faciei vel alii nobiliori parti inflictum eſſet, nequaquam iſta methodus adhiberi poſſet,

§. XX.

Ideo methodus, quam proſperis experimentis iterum inſtauravit *Cl.* SCHMUCKER omnium maxime digna eſſe videtur; *ipſius* enim aliorumque obſervationes efficaciam eius ſatis ſuperque declarant. Attamen vel haec nunquam non variis adhuc vitiis magniſque incommodis laborat. Sane enim inter medendi rationes, maximis cum doloribus coniunctas, referenda eſt ea, qua vulnus ſaepius ac profunde ſcarificetur, tum cantharidum pulvere expleatur, ſui ſaepius, etiam ſi parce, ac ne laeſis quidem partibus applicatus, iam ſaevos dolores excitat; nimium teneris certe ac irritabilibus corporibus eum propinare nequit is, qui vehementiſſimas convulſiones evitare ſtudet. Qui vero eadem methodo, facie, vel pluribus partibus ſimul vulneratis, vel denique vulnere, praecipuis nervis aut magnis arteriis contiguo, uti cogeretur, quantum auderet? ne deformitatem, nullo modo evitandam commemorem; & quamvis ſumma in ſcarificatione cura ac diligentia, uti fas eſſet, adhiberetur, poſtea tamen laeſae hae partes corroſivis cantharidum viribus haud ſubtraherentur. Cantharidum pulverem, largiter laeſis partibus applicatum, ſaepius atrociſſimos in urinae vias produxiſſe effectus, *ſtrangurias*, *veſicae teneſmos*,

mictum cruentum, *priapiſmos*, *ſatyriaſes &c.* experientia docti ſcimus. Nec ipſe *Cl.* SCHMUCKER teneſmos colli veſicae, mictumque cruentum in iuvene evitare potuit, etſi interno camphorae, nitro temperatae, uſu eoſdem praecavere tentavit. Atque cantharides, magna copia in ſanguine reſorptas, eundem diſſolvere, atque ad putredinem pronum reddere, inter omnes conſtat. Denique parvis membris v. c. digitis manuum vel pedum vulneratis, ea curandi ratio, totuſque apparatus ne adhiberi quidem poteſt.

§. XXI.

Atque haec omnia me impulerunt, ut inveſtigarem, num internis remediis ad eundem finem, quem externis conſequi ſperant, pervenire, atque idem faciliori, magis commoda, minuſque perniciosa ac difficili via obtinere non liceret, dum internis videlicet remediis, quae humorum copiam ab interioribus ad externas derivarent partes, id efficere conaremur, ut venenum ſimul cum humoribus eliminaretur, id quod etiam veteres medici iam facere cupiebant. Ideo CELSUS (*a*) *eiuſmodi aegrotos iam tum in te-*

(*a*) De Medicina Lib. V. cap. XXVII. pag. 308.

pidum balneum miſſos eſſe narrat, *atque ut ipſe dicit*, *ut ibi patientes deſudarent dum vires corporis ſinunt*, *vulnere adaperto*, *quo magis ex eo quoque virus deſtillet*. SWIETENIUS (*a*) ad eundem CELSI locum haec addit, *manifeſte patet*, *balneum tantum adhibitum fuiſſe ut vulnus humeſceret*, *& foveretur*; *ſimulque*, *per ſudorem excitatum illud virus*, *quod vulneri inhaeſerat*, *expelleretur*. Eandem ob cauſſam BOERHAAVE acetum aromaticum, ſal marinum, aquam calidam commendat, *ut omni mane ſudet aeger*; & *commentator eius*, *aromata blanda*, *ait*, *copia aquae diluta*, *prodeſſe poſſunt*; *quatenus perſpirationem & ſudorem movent*, *&* *alio loco* (*b*) dicit *idem*, *movere humores verſus corporis ſuperficiem convenit*, *ut ſic venenum ſuſceptum per eamdem viam*, *qua applicatum fuerit corpori*, *expellatur*. Atque hiſtoria, *quae in Philoſophic. Tranſact. abridgm* (*c*) commemoratur, idem confirmat. *Duorum puerorum*, *manus in canis rabioſi collum*, *morbi cognoſcendi cauſſa*, *immittentium*, *alter non multo poſt hydrophobicus mortuus eſt*, *alter*, *qui nullo quidem remedii uſu*,

(*a*) Comment. l. c. p. 570.
(*b*) L. c. p. 173.
(*c*) Tom. V. pag. 366.

magno tamen corporis motu, multum ſudoris pro- ſuderat, priſtinam ſanitatem eo ſervavit.

Specifica, ad hunc morbum praecavendum crebro commendata, quum altius ſcrutemur, frequenter eiuſmodi eſſe remedia invenimus, quibus *vires* inſunt *diaphoreticae*, quaeque eodem modo ipſorum vim producunt; talis nempe eſt *famoſus ille pulvis antilyſſus*, *qui Lichenis terreſtris*, *moſchi*, *piperis nigri*, *aequales partes in ſe contiNet*, porro *Pulvis Cobii*, alias *Tunquinenſis* dictus, *XVI. grana Moschi*, *ac XX. cinnabaris nativi & factitii complectens*, & ut res poſtulant, pluribus vicibus *cum hauſto spiritus fermentati*, *ex oryza praeparati* (*Arrack*) *sumtus teſte* SWIETENIO (*a*) *eundem habuit effectum*, *ut plerumque intra trium horarum spatium somnus blandus*, *auctaque perspiratio sequeretur*. *Le* CAMUS idcirco *Alcali volatile*, *ut virtute eius*, *sudorem movente*, *virus e corpore eiiciatur*, *commendat*; *& balnea calida cum herbis aromaticis parata*, *egregiam inde opem tuliſſe*, *videri poteſt in comment. de rebus in scient. natur. & medicina geſtis* (*b*).

(*a*) Comm. l. c. pag. 581.
(*b*) Tom. IV. pag. 57.

§. XXII.

Quae quidem omnia nos docent, medicos inde a remotiſſimis temporibus hoc miaſma hydrophobicum externis remediis e corpore expellere iam contendiſſe, illiſque diaphoretica huic rei accommodatiſſima viſa eſſe; nec vero illa omnia hic prodeſſe, neque ea, quae vehementi motu nec minori corporis exaeſtuatione id efficiunt, fini propoſito ullo modo congruere arbitror, in quorum numerum omnes potus ſpirituoſos, omnia aromata, calefacientia, omnemque nimium corporis motum refero. Ut vero convenienti hanc indicationem modo expleamus, non id ſolum ſpectandum eſt, ut ſudor excitetur, uti iam ſupra commemoravi; *virus* enim in vulnere inſtar *corporis excitantis* agit, ſpaſmoque, quem late circum diffundit, altius ſe infingit. Quod ſi quis igitur id internis remediis evacuare vult, ſimul antiſpaſmodica det, neceſſe eſt, quae illud in vulnere movent, ut ſudor inde ſequens idem virus ſecum auferre valeat. Quam quidem ſententiam iam NUGENT (*a*) fovet, *princeps regula prophylactica*, inquiens, *in eo conſiſtit*,

(*a*) Eſſays on the Hydroph. p. 171.

quo ieves iſti ſpaſmi virulenti in laeſa parte , & circa eam prorſus exſtinguantur , id quod fit ſopiente . Eiuſmodi itaque remedium vi & ſopiente & diaphoretica inſtructum eſſe deberet , cum quo indicationi ſatisfieri atque canis rabidi morſu laeſus prorſus a periculoſiſſimo morbo tueri poſſet , idque eo melius , quam ſolis externis remediis , quo minus , his internis adhibitis , quiſque valde ſollicitus ſit neceſſe eſt , num etiam virus , in vulneris ſuperficie remanſerit nec altius intraverit , illo enim tantum poſito , idem ab externis arreptum auferri poſſet . Quae quidem remedia etiam tum , cum contagium non vulnere , ſed aliis modis , cute per ſalivam venenoſam tacta , ortum ſit , ubi externa remedia applicari nequeunt , multum valent neque a ſcopo aberrant .

Quod ſi vero id , quod volumus , virus ſcilicet ut e corpore expelleretur , conſecuti ſumus ; tamen erat , cur malos effectus a *charactere nervis impreſſo* derivandos , metueremus . Nervi enim ſtimuli impreſſionem vel aliquantum poſt , eoque iam ſublato , ſaepius percipiunt ; eodem modo febres intermittentes crebro continuant , quamvis febrilis materia e corpore depulſa eſt . Quod idem etiam hoc loco iure timendum eſſe cenſemus , praeſertim cum virus , diu corpori inhaerens , nervis fortius impreſſum eſſet , vel effectibus haud mediocribus

iam apparentibus, peiores etiam poſtea verendi eſſent, quos ad cavendos remedia antiſpaſmodica continuare oporteret, quibus omnis omnino nervorum impreſſio deleri poſſet.

§. XXIII.

Atque hac quidem poſteriori ratione *Belladonnam*, ut remedium praeſervativum, contra rabiem caninam cum fructu exhiberi poſſe opinor. Neque vero perſuadere mihi poſſum, illam *per ſe eſſe ſpecificum quoddam* contra canis rabioſi virus. Quae autem ſecundum indicationes, hoc loco obvias, ipſi neceſſario ineſſe debent, minime deſunt, ideoque eſt *prophylacticum remedium indicatum*. *Virium* enim *antiſpaſmodicarum* ope, quae haud ab ullo medico ipſi denegantur, quaſque per bonos effectus, multis in ſpaſticis morbis proditos, ſatis ſuperque monſtravit, ſpaſmos, veneni ſtimulo in vulnere excitatos, lenire, ac eadem vi obſtupefaciente nervos contra veneni ſtimulos torpidos reddere poteſt. Quam quidem vim etiam ſemper exſeruit, ubi vulnerati canis rabidi morſu dolores in ipſo vulnere & circa ipſum ſentirent, qui ſtatim poſt huius remedii uſum evaneſcerent.

Tum igitur nihil amplius requiritur, niſi, ut humorum verſus vulneratum locum incre-

mento, atque ſudore virus eliminetur; quod quidem *eadem Belladonna* effici poteſt. Effectus, quem vulgo producit, in eo conſiſtit, uti iam ſupra memoravi, ut, paucis horis praeterlapſis, profuſum excitet ſudorem, cum quo ſimul virus expellit; continuatus vero eius uſus characterem nervis impreſſum penitus extinguit. Quod ſi igitur una cum interno huius remedii uſu ſimul ea externa adhibentur, quae cum minima moleſtia coniuncta ſunt; ſane abſolutiſſima omnibus regulis accommodata utemur ſanandi methodo, quae quidem eo efficacior erit, quo crebriores probant obſervationes, *Belladonnae ſolius uſum* fere ſemper optimo cum ſucceſſu fuiſſe coniunctum.

SECTIO IV.

Primum morbi ſtadium. Morbi natura. Indicationes, & quo modo Belladonna eas expleat.

§. XXIV.

IAm eo progredior, ut doceam, *qua ratione Belladonnae vires etiam tum valere poſſint, cum morbus iam erupit*; atque primum quidem, quo modo indicationibus, quae *in primo huius morbi ſtadio* occurrunt, ſatisfacere poſſumus.

Stadium primum incipit, cum primum perturbationes, a veneni effectibus profectae, in corpore ſentiuntur. Cum vero inter huius morbi, & melancholiae ſymptomata maxima intercedat ſimilitudo, omni iure huic ſtadio *melancholici* nomen imponitur. Miaſma hydrophobicum nunquam, uti iam commemoravi plane iners corpori inhaeret, ſed inde a ſpaſmis lenibus, quos ſtatim ab initio in vulnere & circa idem excitat, adeo mite, ut animadvertere nequeamus, agere pergit, uſque dum effectus ad tantum vehementiae gradum aſſurgunt, ut perturbationes in corpore aperte cognoſci poſſint; eamque ob cauſſam haud facile eſt, verum temporis momentum, quo ſtadium initium capit, accurate conſtituere, adhuc magis, quum interdum & hoc ipſo ſtadio tam minori gradu ſymptomata moleſtiam exhibeant aegrotis, ut vix ſe aegrotare ſentiant, quare quidam medici illa omnino non obſervarunt, quod quidem eo facilius evenire poterat, quo minus illi aegroti ſtatim poſt infectionem a peritis medicis obſervati ſunt. Frequentiſſime vero eadem ſatis manifeſte apparebunt, atque tunc temporis eorum decurſus eſt qui ſequitur.

§. XXV.

Aegrotus in vulnerata, atque a veneno infecta parte obtuſum ſentit dolorem, cuius acerbitas ſenſim increſcit, vicinas partes invadit, atque ſenſum diſtentionis aut ictus a vulnere uſque ad collum & cerebrum movet. Vulnus ſaepius iterum ſe inflammat, atque una cum proximis partibus tumet. Eius labia liveſcunt, indurantur, atque ſe extollunt. Interdum recrudeſcit atque virulentum ichorem emittit, non nunquam exoriuntur puſtulae rubicundae, eaedem ſe aperientes eundemque humorem eiicientes. Interea dum vulnus ſe hoc modo immutat; aegroti ſingularem ſentiunt inertiam atque membrorum gravitatem, quae omnes labores moleſtos ac taedioſos ipſis reddunt. Saepius oſcitare atque pandiculare coguntur. Simul fiunt triſtes, afflicti, ingemiſcunt, timidi evadunt, facile perterrefiunt, vel ob res leviſſimas. Ut moeſtis curis indulgere queant, petunt ſolitudines, atque hominum conſuetudinem fugiunt. Quidam imprimis omnia ſtatim aegre ferunt, ad iram proclives, offenduntur vel rebus minimis, perpetuo ſunt inquieti, atque ſaepius anxietatibus vagis invaduntur. Somnus eorum nunquam non eſt inquietus, neque recreans. Surgendo magis langueſcunt quam cubitum eundo; dormientes

ſaepius excitantur, atque ſomniis terribilibus vexantur. Ciborum appetitus evaneſcit. Atque ii, qui non ignorant, ſe ob canis rabidi morſum in periculo verſari, maximum adverſus haec animalia prae ſe gerunt metum, quippe quae ipſis vigilantibus atque ſomniantibus adſunt. Raro quidem, interdum tamen amentes loquuntur. Nec vero temporis ſpatium, quo aegroti his malis premuntur, certo quodam modo definire licet, in aliis enim quoſdam dies, in aliis totidem hebdomades permanent. Quod ſi longius continuant, oculi ipſorum concidunt, pallor ora obducit, ipſique marceſcunt. Omnia hic memorata ſymptomata ſunt vaga & inconſtantia, tum ratione numeri, tum ratione perpetuitatis atque vehementiae.

§. XXVI.

Quae ſi quis accuratius exquirit, ad nullum aliud, quam ſpaſmodicorum genus revocare poterit. Atque eorum inconſtantia, magnaque decurſus varietas id quidem ſatis declarant; praeter ea etiam in eo omnes conſentiunt ſcriptores. A ſolo enim in nervos ſtimulo — quum humores adhuc ſemper incorrupti neque depravati reperti ſint, — omnia ſymptomata derivari poſſunt. Venenum ipſum non amplius in eo tantum loco,

quo applicatum eſt, inſidere videtur. Aliquam huius veneni partem ſemper in iſto loco remanere, ut NUGENT contendit ſatis probant vulneris iſtae mutationes remediorumque topicorum hic adhuc ſalutaris effectus. Nec autem minus veritati conveniens, ea opinio eſſe videtur, alteram eiuſdem veneni partem iam profundius in corpus penetraſſe, nervoſque plurimis locis irritare. Quod ſi enim fieri etiam poteſt, ut ſtimulus; vel in minimam nervi partem agens, atrociſſimos ſpaſmos in toto corpore excitare poſſit, ut in tetano & ſpaſmo maxillae inferioris conſpicitur; tamen nullo modo mihi perſuadere poſſum, miaſma hydrophobicum ſtimulo, quem in nervos habet, ſolo in vulnere, omnia iſta ſymptomata excitare, praeſertim cum id ſtadium tam arcte cum ſequenti cohaereat, in quo omnis corporis humores tanto veneno impregnati ſunt, eiuſque naturam prorſus induunt, ut minima eorum pars morbum in alios transferre valeat. Quare veneni particula iam in hoc ſtadio corpoporis vaſa ingruiſſe, minus quidem principio, maxime vero brevi, antequam hydrophobia erumpit, aſſerere nulli dubito.

§. XXVII.

Indicatio igitur hic *maxima neceſſaria* eſſet; *ut ſpaſmi mitigarentur ac ſedarentur*, atque *ve-*

nenum e corpore expelleretur; utrumque vero ad ſolidam curationem neceſſario requiritur. Ad nervorum autem ſyſtema rurſus componendum, adhibenda ſunt *antiſpaſmodica ſopientia*, NUGENT (*a*) magnas *opii*, *aſſae foetidae*, *camphorae* ac *moſchi* doſes commendat, cuius methodo WHYTT (*b*) plane aſſentit. Nervorum itaque ſyſtemate remediis ſopientibus ſedato, id imprimis eſt agendum, ut venenum, malorum cauſſa, e corpore exturbetur; quo vero neglecto non poſſunt, quin iterum redeant omnia ſymptomata. Verum enim vero cum veneni pars aliqua in vulnere adhuc lateat; ut illam eadem quidem via, quam in cura prophylactica cum venenum certo tandem loco inhaereret, ſequendam eſſe docui, ex eodem tollamus neceſſe eſt. Neque vero venenum, corpori iam altius infixum, in eo retinendum, immo expellendum eſt, in quo quidem fere omnes conveniunt medici, modo in via, quam evacuationis cauſſa ingreſſuri erant, inter ſe diſcrepantes.

Quorum *alii*, cum virus magnam imprimis ad ſalivales glandulas habeat vim, per eaſdem id eiicere, facillimum rati, propinarunt *mercu-*

(*a*) L. c.
(*b*) *Säm. l. zur pract. Arzneyk. gehörig. Schriften, überſ. Leipz.* 1771. *p.* 55.

rialia, mercuriumque vel *externis inunctionibus*, vel interne *mercurii dulcis forma*, aut *turpethi mineralis*, in corpus ingeſſerunt, atque *salivatione inſtituta*, virus ſimul eliminare putarunt; illum enim tamquam reſolvens, primum humores reſolvere, ac deinde virus ſeparare atque expellere poſſe exiſtimarunt. Enimvero ſalivationis via in hac re neque iuſta neque commmoda eſſe videtur, cum plures obſervationes exilem eius efficaciam produnt. FOTHERGILL (*a*) *puellam aliquam duodecim annorum, a cane rabido morſam, narrat, inunctionibus mercurialibus a chirurgo quodam Maſſilienſi adhibitis, ut in lue venerea, ad magnam salivationem redactam eſſe, inter ea tamen hydrophobia correptam periiſſe*. *Alii* mercurium eo modo, ut nulla inde oriretur ſalivatio, interdum quidem cum ſucceſſu, ſaepius vero fruſtra, adhibuerunt (*).

(*a*) Medical Obſerv. and Inquir. Vol. V. Apend. pag. VII.

(*) Recentiſſimum exemplum *Rabioſi* ſupra, p. 238. adduxi, cui magna *opii* doſis, eo morbi ſtadio, quo *hydrophobia* iam conſpicua erat, cum ipſo *moſcho* inutiliter adhibita eſt. Morbi atrocis & ad optima ſaepe remedia rebellis natura meretur, ſane, ut ſingulae obſervationes probe adnotentur, quae tandem collectae, Medicos in diiudicanda meliori medendi methodo reddant feliciores. En ergo brevem facti illius enarrationem, prout per

Medicorum *alii*, imprimis MEAD (*a*) venenum cum urina emovere arbitrati ſunt, ideo-

---

litteras a cl. MORIGI ad me exaratas, ante paucas ſeptimanas mihi innotuit. Canis nempe Viri perilluſtris *** aegrotare viſus, venatui tamen adhuc intereſſe aquamque lambere continuans, moroſior evaſit, ita ut, cum hero minus obediret, durius hinc ab illo correctus, eundem morſu laederet & manum dentibus vulneraret. Paulo poſt, viri ruſtici praetereuntis manum *ferocius* adhuc dilaceravit, dein vitulum adgreſſus eſt & ſimiliter ſauciavit. Canis hic, qui pridie adhuc aquam, ſaltem non horruiſſe, ſi non vere bibiſſe, obſervatus, quamvis vacillans & debilis, alio tamen morbo laborare videbatur, ob tanta facinora praemature, *quod dolui*, trucidabatur. Mox idea de ſuſpecto canis morbo nata, atque meum ſuper his conſilium petitum fuit. Canem fuiſſe *rabidum* mihi credibile adeo non videbatur. Cum, quamvis iam aegrotans, venatui tamen non defuiſſet, aquam e foſſa ſponte lambiſſet, & per quaſdam adhuc dies non omnem cibum recuſaſſet, ſed ſui generis more medico, gramine veſcendo aegrotans delectatus eſſet. Interim fatebar ingenue, rem hanc *dubiam* poſſe videri: enectus enim canis erat, antequam morbi finis obſervatus fuiſſet. Quod ſi aquam revera eadem etiam die bibiſſet: non repugnabat tamen, in ſecundo *rabiei* ſtatu canem haeſiſſe, in quo *hydrophobia* non ſemper iam praeſto eſt, ſed ſerius aliquando accedit; quid quod *rabies* ſine *hydrophobia* aliquando adeſſe poſſit; & in animali ad hunc morbum adeo prono, *moroſitas* in herum cum morbo iuncta, ſaltem

que hanc excretionem diureticis augere ſtuduerunt. Ipſe iam AVICENNA eo conſilio commen-

---

ſuſpecta videri queat. Suaſi ergo, ut, methodo ab ill. SCHMUCKERO commendata, *cantharides* vulneri, iam prius probe eloto, inſpergerentur; dein ut hoc idem, *Emplaſtro veſicatorio* obtegeretur, & ſic larga procuraretur ſuppuratio. Praeter haec vero quotidie circa vulnus unguentum mercuriale infricari, balnea tepida adhiberi & potus diluentes, refrigerantes copioſe ingeri curavi, quin tamen ad ipſam uſque *ſalivationem* procederetur. Singula haec cum *Viro perilluſtri* ***, & cum ipſo denique *ruſtico* ad noſocomium recepto, ita obſervata ſunt, ut in hoc per *triginta*, in illo vero per *quadraginta quinque* iam *dies*, vulnus adpertum teneretur, atque tunc ſanationi ſponte inſecutae committeretur. Interea *Vitulus* morte obiit, quin *rabiem* in cauſſa fuiſſe nunciaretur.

Poſt duos denique menſes per litteras cl. MORIGII, ſequentia mihi nunciantur. „ Ruſticus me acceſſit, in quo prima *rabiei* ſigna iam conſpiciuntur. A *decem* hinc diebus dolorem ſenſerat *in manu & brachio* per canem pridem vulnerato: dolor uſque ad *collum* & *nucham* aſcendebat; & ab eo tempore triſtis, adpetitu atque ſomno carebat, & nocte inquietus erat. Noſocomio tamen ſe committere, prout iubebam, heri nolens, hodie ſaltem ad noctem ſeſe commiſit. Altero mane *rabiei* declaratae & *hydrophobiae* ſigna in miſero invenio. Conſilia tua pro hoc, ego nunc non petiturus ſum: neque enim his amplius locum eſſe doleo; ſed quid cum alio aegroto, viro nobiliſſimo, ſuſcipiendum ſit, quamvis optima adhuc ſanitate fruatur, de hoc quantocyus ut tuam mihi

davit cantharides ; quod vero remedium poſt ipſum multos per annos abiectum, noſtra recen-

---

opinionem tranſcribas enixe precor, atque interim quaſdam *frictiones mercuriales* repetendas eſſe credidi. De *Vitulo* pridem iam defuncto referunt, eum ex pectoris atque hepatis affectu obiiſſe". Suaſi, ut *inunctiones mercuriales* moderatae quas de novo iam in *perilluſtri* aegroto inſtituere coeptum erat, *decem* ad minimum vicibus, non omiſſo balneo, continuarentur, dein, ut potu copioſo colatoria corporis, tranſpirationis, urinae, aperta ſervarentur. Vulnus clauſum adaperiri non conſului, eo quod, ſi ſuſceptum ad maſſam ſanguinis eſſet contagium, hac methodo non foret eliciendum, neque credendum eſſet, *ſub cicatrice* venenum tamdiu, quin ad ſanguinem reſorberetur, latere. Nunc etiam radicem *Atropae Belladonnae*, quae pridem ad manus non erat, eo modo adhiberi ſuadebam, quo in praeſentis diſſertationis fine tradetur. Interim poſt octo dies ulteriorem *ruſtici* hiſtoriam accepi ſequentibus: „Cum ergo *metum aquae* iam proderet aegrotus, neque, praeter pauculam *iuſculi*, quidquam ab eo potuiſſet deglutiri, pilulas tamen eidem ex *moſchi* granis XV., & *opii* granis IV. compoſitas, volumine minores ingeſſi. *Veſicatorium* quoque brachio affecto adplicui. Ad veſperam Enema iniiciebatur cum *moſchi* gr. XXIV., & *opii* gr. VIII. Noctem inquietiſſime peregit, neque per momentum ſomno gaudere potuit. Sequenti mane *convellebatur* aeger & ſaepiſſime *ſalivam*, ſed parca copia *ſputabat*. Pilulam ex *moſchi ſcrupulo uno*, & *opii granis octo* aliquomodo adhuc deglutire poterat. Videns vero, opio in nervos necdum con-

tiore demum aetate, praeſertim WERLHOFII

cedi effectum, omnem autem nunc deglutitionem eſſe praepeditam: clyſterem iniici curavi cum *moſchi ſcrupulis duobus*, *eademque opii doſi*. Sed poſt ſeptem demum horas, miſer ſub iiſdem *convulſionibus*, ſub *clamoribus*, & *magnam* ubique *ſalivae quantitatem exſcreans*, vitam amiſit".

En fidam morbi truculenti hiſtoriam, cuius non abſque fructu erit attenta conſideratio. De *Vitulo* quaerenti mihi, num *certiſſime* etiam conſtaret de peracta eiuſdem nunc defuncti, atque de alterius canis bene adhuc valentis, ab *eodem animali rabido*, laeſione? Adiungitur, eandem viro clariſſimo, ac mihi ipſi, cum hanc rem *propriis oculis* non conſpicuiſſet, *incertitudinem* ſupereſſe. Interim in hanc uſque diem, quae vigeſima quarta a morte *ruſtici* eſt, perilluſtrem aegrotum bona omnino valetudine gaudere, & *frictionibus* quidem praedictis, necdum vero *radice Belladonnae* uſum eſſe, experior. Altera tamen in medendi methodo differentia non iacet, niſi quod, cum *ruſticus* in rabiem delapſus, 30. tantum diebus eadem uti voluiſſet; Vir natu altior per 45. dies hanc ipſam ſedulo adhibuerit. — In alio viro a cane rabido demorſo, ante quatuor hos annos methodo SCHMUCKERIANA a me pertractato, eiuſdem me non poenituit, ſuntque plures aliorum experientiae, quae optatos effectus habuerunt. Videmus tamen, *ruſticum* noſtrum hac ipſa methodo, dein, cum *rabies* ipſa erumpere viſa ſit, & *opio* & *moſcho* in magna doſi uſum eſſe, quin mortem tamen auffugere datum fuiſſet; ut igitur ſemper certioris in his methodi ſupereſſe debeat deſiderium.

(q) Op. omnia, Goetting. 1749. T. II. p. 123.

cura, iterum in medium prolatum eſt (*a*), qui quidem pilulas ex dimidio camphorae ſcrupulo, uno pulveris cantharidum grano, uno ac dimidio mercurii dulcis grano, ope mucilaginis Tragacanthae componendas curavit, quas per ſex menſes omni veſpere propinavit. Atque hoc remedio, urinae effluxum ſemper copioſum producente, a multis morbum illum averruncavit vel iam eruptum ſanavit. Ob virtutem diureticam poſtea nonnullae *aliae ſcarabaeorum ſpecies* commendatae ſunt. Iuſſu *Regis potentiſſimi* patefecit anno 1771. *Collegium medicum Berolinenſe* medicamentum quod maxime Meloën proſcarabaeum & Meloën maialem L. complectebatur. Iudicium de hoc remedio ingenioſiſſimum vid. in *Ill. Equit.* MURRAY *Biblioth. med. pract.*, atque uſus horum remediorum hiſtoriam nobis dedit nuper *exper.* STOKAR a NEUFORN (*b*).

Permulti quoque medici ea remedia, quae aucta diaphoreſi, venenum, ad interiores corporis partes tranſgreſſum, educerent, tutiſſima ac certiſſima eſſe crediderunt. Qui enim diaphoretica, tanquam praeſervativa, ſuaſerunt, iidem

(*a*) Op. omnia Edit. Wichmanni Hannov. 1775, pag. 699.

(*b*) Diſſ. inaug. de uſu Cantharidum interno. Goetting. 1781. p. 28. ſeq.

illa in hoc ſtadio in ipſa curatione adhibenda eſſe praeceperunt. Verum enim vero, quanquam aliorum remediorum nulli efficaciam quamdam in hoc morbo denegare audemus, tamen diaphoreticis id certiſſime ac facillime effici poſſe videtur. Nam illo quod ſimul venenum topicum ex vulnere eliciant omiſſo, etiam alteri veneni particulae, altius in corpore inhaerenti, diaphoreſis aucta, viam aperit planiſſimam, latiſſimam atque proximam. Sane quidem fieri poteſt, ut per alias excretionum vias ſemper aliquid veneni ſimul expellatur, neque igitur dubitare poſſum, quin e medicamento, quod omnibus his indicationibus ſimul ſatisfacit, maximam utilitatem capere, iure exſpectare liceat.

§. XXVIII.

Belladonnae vero ſecundum omnes indicationes, quae huic morbi ſtadio adſunt convenienter agit. Ope enim virium eius narcoticarum ac ſedantium auctam ſyſtematis nervorum irritabilitatem comminuere, atque perturbationibus, in eodem excitatis rurſus mederi valet. Virium autem eius diaphoreticarum ope venenum, quod vulneri adhuc ineſt, humorum impetu verſus idem vulnus aucto, eliminare poteſt, idque eo magis, cum hic effectus externis remediis ſuſtineatur; quod vero iam altius

corpori infixum eſt, per auctam diaphoreſin, ac ſudorem evacuare eodem poteſt.

Neque a mercurio, tantopere contra hunc morbum laudato. Belladonnae vires multum diſcrepant, ſed quodam modo idem efficiunt. Mercurium magna reſolvendi vi praeditum eſſe, inter omnes conſtat; neque vero medicamento, quod, ſtaſes alvi pertinaciſſimas, ſcirrhos, tumores chronicos reſolvere valet, id quod Belladonna ſaepius effectum eſt, vires reſolventes iniuria tribui poſſunt. Quod ſi itaque reſolventem virtutem adverſus venenum exſeruit mercurius, nec aliud quidquam a Belladonna ſperare debemus. Mercurio autem aliquid ſpecifici ineſſe, non magis aſſeverari poteſt, quam, aucta ſalivae excretione, venenum ab ipſo expelli, quum tam ſaepe fruſtra uſurpatus ſit, contra vero interdum ſine ſalivatione profuerit. Nonnunquam etiam ſalivae excretionem *Belladonna* auxit; cum vero id rarius fieri ſoleat, nil certi atque conſtantis inde colligere licet.

Quemadmodum vero Belladonnae in melancholia egregius ac frequens fuit uſus, uti *celeb.* EVERS (*a*) aliorumque experimenta teſtantur:

(*a*) In SCHMUCKERS *vermiſcht. chirurg. Schriften*, *B. I. p.* 173.

ita vel in hoc morbi ſtadio ; quod melancholiae proxime accedit, multum valere poteſt. Neque in malo hyſterico eadem ſine optimo ſucceſſu plerumque exhibita eſt. Omnino vero eius efficaciam demonſtrant obſervationes, ſecundum quas in hoc ſtadio, nec ſine maximo fructu propinata eſt.

Ac quidem *Belladonnae radicis uſu Pater optimus* ſanavit virum, cuius manus a cane rabido vulnerata, paululum poſt, inter acerbiſſimos dolores intumuit; qui ſemper inquietus, mentis anxietate vexatus, in intervallis modo furens, omnia, quae ipſi obvenerunt, dentibus frangebat, cuſtodibuſque elabi tentabat; modo aliquantum temporis ſanus erat; in quo denique omnia fere huius morbi ſymptomata, hydrophobia excepta, apparebant. Prima Belladonnae radicis doſi ſumta, ſymptomata increverunt, ſecunda vero data remiſerunt, iam aegrotum oppreſſit ſomnus, cui ſudor profuſus ſuccedit, atque poſtea omnino convaluit.

Feminae annorum quinquaginta, quae poſt vulnus, a rabioſo cane inflictum ſaepius capitis dolore, tremore artuum, horripilationibus, & vehementi artuum motu tentabatur, Belladonna, venaeſectione praevia, propinata eſt, quae eundem effectum produxit priſtinamque valetudinem reſtituit.

SECTIO V.

Secundum morbi ſtadium. Ratio eius & Indicationes. Num Belladonna frugi?

§. XXIX.

SEcundum vero *ſtadium* incipit, ex quo aegrotus primum liquida deglutire non poteſt. Inde morbus ab antiquiſſimis temporibus *Hydrophobiae* vel *Hygrophobiae* nomen accepit; ſtricto autem ſenſu hoc tantum ſtadium ob unum conſtans, atque pathognomonicum ſymptoma ita appellari meretur (*).

Aegrotus quidem non ſtatim ab initio liquida abhorret, ſed plerumque tum, cum potus

(*) In *rabie*, quae male *canina* dicitur, cum a cuiuſvis alterius animalis *rabie* laborantis morſu, in hominem queat communicari, ſubinde *hydrophobiam* deeſſe, — & vice verſa in eodem morbo a *rabidi* animalis morſu exorto, cum *hydrophobia* adſit, *rabiem* tamen ipſam ſaepe non apparuiſſe, exempla innoteſcunt. SELLE, *Medicina Clinica* p. 377. KEMME, *diſſ. de nonnullis ad rabiem caninam & hydrophobiam pertinentibus Halae* 1767. in ill. BALDINGERI, *Sylloge Opuſc. Med. Vol. I.* p. 297. V. GILDEN, *Cent. I. Obſ.* 86. IAMES, *on canine Madn.* p. 21. BAGARD *on the bite of a Mad. dog.* p. 34. &c.

ipſi porrigitur, primum ſpaſticam oeſophagi conſtrictionem experitur, qua ſaepius tam celeriter increſcit, ut mox inde difficilis ac plane impedita liquidorum deglutitio oriatur, quam ſubitam mutationem aegroti ipſi valde mirari ſolent. Simul ingens eos premit ſitis, quo autem ſaepius bibere conantur, eo magis difficultas augetur, quae denique in omnium liquidorum averſationem tranſit, ac poſtea animum adeo occupat, ut ſine concuſſione & convulſionibus, ſicut antea, neque liquida videre, neque, ut nonnulli obſervarunt, eorum nomina audire poſſint. Omnia prioris ſtadii ſymptomata exacerbantur. Omnis deficit appetitus, quanquam frequentiſſime ſiccos atque ſolidos cibos deglutire poſſunt. Porro ſomnus eos prorſus fugit, perpetua inquietudine aguntur, in lecto ſe iactant, neque locum, in quo parumper quieſcant, reperire poſſunt. Frequentiores ac vehementes imprimis circa praecordia oriuntur anxietates, difficiliſque reſpiratio. Nervorum ſyſtema quam maxime concitum eſt, omni re vehementiſſime afficiuntur, omnem liquidorum contactum, in quacunque corporis parte, omnes etiam res ſplendentes, quae oculis eorum incurrunt, averſantur, ne aëris quidem motum miſerrimi ſuſtinere poſſunt; itaque, vicino cum ipſis loquente, ſe vertunt; lumen fulgens, fumus ac pulvis, corpori admotus, denique quivis

ſtrepitus ita eos afficit, ut horreant, concutiantur, convellantur. Quidam nunc delirant, omnia perverſe loquuntur & agunt; qui morbum a canis rabioſi morſu ortum eſſe ſciunt, eorum menti iſta animalia ſemper obverſantur, atque ſaepe ita impreſſa ſunt, ut nunquam ea cogitare ceſſent. Plerumque in intervallis ſolummodo furunt, alii nunquam, potius ad mortem uſque recte ſapiunt. Proxime adſtantibus nocere nunquam eorum animus. Saliva autem, cuius ob deglutiendi difficultatem magna in ore copia colligitur, valde onerat, ideoque eam exſpuunt, neque vero eo conſilio, ut alios laedant. Nec eam ob cauſſam, quemadmodum multi incuſant cum ore captant, ut alios mordeant, ſed maxillae tantum, ſpaſticus neque voluntarius eſt motus. Nam ſi furoris aliquem impetum praeſentiunt, eos, qui cum ipſis ſunt, ut caveant, monere ſolent, etiam rogant, ut ligentur. Saepe eoſdem miſeros inter haec mala febris invadit, quae pro diverſa corporum indole, diverſum quoque aſſumit characterem; neque tamen magis conſtans eſt, quam delirium.

Plura adhuc ſymptomata in his aegrotis obſervarunt medici, quae tamen non admodum frequentia adeſſe ſolent, e. c. vomitus glutinoſos, fuſcos, bilioſos; priapiſmos; ſatyriaſes, vocem raucam, aphoniam, dyſurias, ſtrangu-

rias, frequentem micturitionem. Atque haec quidem ſunt praecipua huius ſtadii ſymptomata, quae vero omnia, ut in priori ſtadio, timore aquae excepto, minime fixa ac perpetua eſſe probe tenendum eſt. Neque minus diverſus eſt morbi decurſus eiuſque duratio. Morbus quidem plerumque die quarto finitus eſt, cum frigidus, tenax ac viſcidus ſudor totum per corpus erumpit; atque plurimi inter convulſiones vitam efflant.

§. XXX.

Omnes quicunque tandem naturam huius morbi inveſtigarunt, nil niſi ſpaſticum eſſe morbum, affirmant, quorum NUGENT imprimis dignus eſt, qui nominetur, qui in commentatione quadam ſingulari (*a*), morbi naturam multo cum acumine diſquiſivit, doctrinaeque, quam propoſuit, plane conſentientes habuit, FOTHERGILL, MACBRIDE & WHYTT. Quod ſi prioris ſtadii ſymptomata cum his comparemus, ea, praeter hydrophobiam, gradibus ſolummodo

---

(*a*) Eſſay on the Hydrophobia; to which is prefixed the Caſe of a Perſon, who was bit by a Mad Dog, had the Hydrophobia; and was happily cured. London 1753. 8.

differre animadvertimus. Sunt enim aeque inſtabilia, eorum decurſus & duratio eodem modo ac in priori variat. Atque vel hoc, morbum non niſi ſpaſticum, huncque characterem nervoſum in toto morbi decurſu praecipuum eſſe, luculenter probat. Corporis ſyſtema nervorum ad tantum ſenſibilitatis gradum erectum eſt, ut vel minimus ſtimulus, qui in ſtatu ſano ſolas ſenſationes producit, nunc vel vehementiſſimos ac perturbatiſſimos gignit motus. Sic lenis aurae afflatus, exemplo ut utar, cauſſa fuit vehementiſſimorum convulſionum, uti in *Philoſophical Tranſactions abrid.* (*a*) & *actis acad. Mogunt.* (*b*) commemoratur. Quin *ipſa hydrophobia* eſt ſymptoma, ex ſolo incitato nervorum ſyſtemate originem ducens. *Si ulla ex cauſſa*, ait WHYTT (*c*) *faucium*, *oris & ventriculi nervorum talis orire poteſt ſenſibilitas*, *qualis a natura nervis aſperae arteriae data eſt*, *ſtatim vehementiſſimi convulſivi motus inde naſcantur neceſſe eſt*, *licet eos leniſſimum fluidum attingat*. At in hydrophobia faucium & oris nervi etiam modo ſenſibiles eſſe videntur; aegri enim liquida ſola tangere, ferre non poſſunt, ſiccos contra cibos

(*a*) Vol. V. pag. 336.
(*b*) Tom. I. pag. 341.
(*c*) *Prackt. Schriften.* pag. 344.

plerumque ſine ullo impedimento deglutire poſſunt. In ſtatu naturali autem arteria aſpera pari modo & a ſiccis & a liquidis rebus afficitur. Rariores denique obſervationes declarant, hanc ſingularem adverſus liquida ſenſibilitatem etiam cum inteſtinis craſſioribus interdum communicari, ita ut aegri nec liquida, clyſtere in ventrem illata, perferre poſſint. Nec ab iiſdem liquidorum applicationem in externo corpore factam tollerari poſſe, nemini latet.

Ipſa etiam mortuorum cadavera ſecta maximam praebent probabilitatem, morbum, qui mortem ipſis afferebat, vehementem tantum ſpaſticum fuiſſe. Tum ſumma, quam BONETUS aliique in iis obſervarunt, varietas docet, nullum conſtans ac determinatum vitium, cum in ſolidis partibus, tum in humoribus fuiſſe.

Alii eundem morbum ſumme inflammatorium eſſe opinati ſunt, inter quos hanc opinionem tuentes, atque anthiphlogiſtica curandi methodo niti cenſentes, ipſe erat BOERHAAVE. Cuius quidem theoriae fundamentum erat faucium, vicinarum aliarumque partium inflammatio, quae nonnunquam in cadaverum ſectionibus videbatur, atque febris, illum morbum comitans, & interdum inflammatoria. Verum enim vero neque febris, neque inflammatio proprie ad eſſentiam atque naturam huius morbi

pertinet. MEAD (*a*) enim hac BONETUS (*b*) in ſecandis his cadaveribus ne inflammationis quidem veſtigium totidem, ac ipſi aliique eandem colli, oeſophagi, tractus inteſtinorum, aliarumque partium obſervarunt. Atque febrem in illo morbo haud neceſſariam eſſe, ſaepeque defuiſſe, iam ſupra monui. Ex quo NUGENT (*c*) colligit, a BOERHAAVIO *aliiſque, hanc opinionem ſequentibus, morbi effectum cum eiuſdem cauſſa commutari, ipſeque* BOERHAAVII *Commentator* (*d*) *inflammatio illa* inquit; *potius effectus morbi iam facti, quam cauſſa eſſe videtur. Inflammatio enim ac febris nunquam, morbo ineunte, ſed paululum iam durante apparuit.*

Alii denique morbi originem ac fontem in tractu inteſtinorum quaerentes, ac theoriam corruptis bilioſis aliique humoribus, interdum obſervatis, ſtabilientes, in eundem inciderunt errorem, ut effectum cum cauſſa permutarent. Nihil enim ſaepius accidere ſolet, quam ut eiuſmodi corruptiones, aeque ac diſpoſitio humorum inflammatoria, poſt ſpaſmos inprimis, in abdomine exoriantur. Eodem modo putris etiam hu-

(*a*) Philoſoph. Tranſact. abridg. Tom. V. pag. 363.
(*b*) Sepulchret. anat. Lib. I. Sect. VIII. pag. 211.
(*c*) L. c. pag. 50.
(*d*) Comment. Tom. III. p. 562.

morum reſolutio, nonnunquam obſervata, non aliunde niſi ex nimiis atque vehementibus ſpaſmis derivanda eſt, qui ſanguini humoribuſque aliis diſpoſitionem inflammatoriam inferrent, quae ad ſummum faſtigium elata, ſemper in putredinem tranſgreditur. Nullus itaque dubito, his rationibus omnibus in unum collectis, plane evinci, neque inflammationem, neque biliofos corruptos neque putridos reſolutos humores morbi veras eſſe cauſſas, ſed tantum effectus *verae cauſſae, vehementer ſcilicet irritati nervorum ſyſtematis, indeque enatorum ſpaſmorum* confiderandos eſſe. Et *cauſſa* quidem *proxima*, nervorum ſyſtema tantopere movens ac irritans, *miaſma eſt hydrophobicum*, quod quidem iam per totum corpus diſperſum, cum eius humoribus, imprimis ſaliva, tam arcte commixtum eſt, ut illa, una cum omnibus fere aliis morbum in alia corpora propagare valeat. Cauſſa vero, cur oris, faucium & ventriculi nervis ſemper tantam erga omnia liquida ſenſibilitatem imprimat, non magis explicari poteſt, quam cur mercurius in glandulas ſalivales, plumbum in inteſtina, atque canthandes in renes & veſicam urinariam effectus producant. Neque pudet ignorantiam profiteri, cum ipſe WHYTT, qui in nervorum naturam atque effectus tam

accurate inquiſivit, haec dicit (*a*) *quo modo faucium ac primarum viarum nervi mutantur, inter eas difficultates referendum eſt, quas unquam extricandi phyſici omnem abiiciunt ſpem.*

§. XXXI.

Exploratum igitur eſt, morbum illum ad genus nervoſorum pertinere, atque a primordiis uſque ad extrema inprimis eſſe ſpaſticum. Prima quidem, graviſſima ac maxime neceſſaria indicatio eſt igitur *ſpaſmos vehementiſſimos ſedandi*, qui alias corpus brevi tempore quam maxime evertunt, taleſque relinquunt effectus, quos certa ac inevitabilis ſequitur mors. Ideo omnes medici recentiores, e quibus SWIETENIUM, NUGENT, FOTHERGILL, MACBRIDE, WHYTT nominare ſufficit, idem tanquam conditionem ſine qua non poſcunt, atque NUGENT quidem hunc morbum, ut affectum hyſtericum, & MACBRIDE (*b*) ut tetanum, tractare ſuadent. In eo igitur rei cardo vertitur, ut motus tumultuoſi, quam celerrime fieri poteſt, leniantur, antequam

(*a*) *Prackt. Schrift.* p. 344.
(*b*) Methodical Introduction to the Theory and Practic. of Phyſic. Book. v. pag. 553.

inflammationem alioſque peſſimos effectus in corpore relinquant, & NUGENT (a) *felicis enim*, inquit, *eventus ſpes fere omnis perit, ſimulac advenerit inflammatio*. Quod vero ut efficiatur, ut ſpaſmi ſedentur atque ſyſtema nervorum, vehementer irritatum, rurſus leniatur, efficaciſſima ſopientia & antiſpaſmodica, & quidem tanta doſi requiruntur, ut eorum effectus pares ſint ſpaſmorum vehementiae, qui ergo haud exigui atque leves eſſe debent. MACBRIDE & WHYTT magnas idcirco opii doſes interne & per clyſteres datas, commendant. Atque NUGENT interno opii, moſchi, camphorae, & aſſae foetidae uſu, & externis circa collum extracti Thebaici fomentis, oleique inunctione in vulnus vicinaſque partes feminam ab hydrophobia, quae diverſis temporibus revertebatur, ſanare contigit, aliud exemplum hominis, vere iam hydrophobi iiſdem medicamentis ſanati legitur apud WHYTT l. c. pag. 556. in nota. Eodem optimo ſucceſſu etiam *Ill.* TISSOT (b) in homine ſanando externa iniunctione olei, in quo camphora & opium reſolutum erat, ac interne ſpiritu ſalis ammoniaci, vino permixto, propinato uſus eſt,

(a) Eſſay ecl. pag. 85.
(b) *Sämtliche Schriften. Th. I. pag.* 198.

Quantum igitur remedia antiſpaſmodica valeant, & quam grave ſit, huic indicationi, tam celerrime quam fieri debet, ſatisfacere, inde ſatis patet. Quod ſi huic ſatisfeceris, neceſſe adhuc eſt, ad aegrum de morbi reditu cavendum eumque prorſus ſanandum, ut miaſma hydrophobicum, ſpaſmorum cauſſa, e corpore tollatur. NUGENT (*a*) etiam ſecundum hanc indicationem antiſpaſmodica convenienter agere putat. Quod ſi id efficere poſſunt, ſane nulla alia via fieri poteſt, quam ut venenum per auctam diaphoreſin aliamve excretionem eliminent.

Quod ad ceteras vero indicationes attinet, ſcilicet effectus, qui ex ſpaſmis in hoc morbo oriuntur, ſaepius adeo vehementes, ut mortem certam neque evitandam adducant, quo modo praecavendae, aut, ſi iam apparent, tollendae ſint, non niſi ſecundum generales indicationes hic agendum eſſe exiſtimo, ad quod exempli cauſſa referendum eſt, ſi aeger ſanguine abundat, & ad morbos inflammatorios diſpoſitus eſt, ut frequentes inſtituantur venaeſectiones, remediaque antiphlogiſtica adhibeantur, quae antiſpaſmodicae curationi haud repugnant. Quae quidem remedia eo magis neceſſario adhibenda

(*a*) L. c. pag. 55.

ſunt, ſi ullius partis inflammatio iam vere conſpicitur. *Nugent* tribus vicibus venaeſectionem inſtituere neceſſarium duxit. Plura exempla, ubi venaeſectio, opportuno tempore & ſub neceſſariis indicationibus inſtituta, bene adiuvans remedium fiebat, dantur *in Hiſtor. acad. Reg. ſcient. Pariſ.* (*a*) & *in comment. de reb. in ſcient. nat. ac med. geſtis* (*b*). Idem etiam de vomitoriis & purgantibus remediis valet. Si manifeſtae ſordes aegroto inſunt, eas proxima via removere, proque eo, quod aut ſurſum aut deorſum turgeſcunt, aut vomitoria aut purgantia & clyſteres adhibere neceſſe eſt; in quo autem ſemper id cogitandum eſt, eas ſordes nunquam ad eſſentiam morbi pertinere, ſed potius ſymptomatici quid conſtituere, omniaque vomitoria & purgantia draſtica, vehementi ſtimulo, quo inteſtinorum tractum iam valde concitatum adficiunt, hic magis nocere, quam prodeſſe. Hae igitur ſunt praecipue indicationes, in hoc morbi ſtadio curandae.

Ea, quae morbi naturae maxime conveniunt, intuitum eſſe, mihi quidem ſufficit, atque magnum empiricorum remediorum numerum, quae in hoc morbo ex parte tanquam ſpecifica,

(*a*) Ann. 1699. pag. 67.
(*b*) Tom. IV. pag. 57.

laudata ſunt, quorum vero recentior uſus non eam utilitatem, quae ſperabatur, praeſtitit, omnino ſilentio praetereo, quum harum paginarum anguſtiae, atque breve temporis ſpatium, quo incluſus ſum, impediant, quo minus rem fuſius tractare poſſim.

§. XXXII.

Quemadmodum vero ille morbus tot ac tantis diriſſimis malis toto in decurſu obnoxius eſt; ita aliud nec minus grave ac triſte accedit, quod perpauca ſint exempla, quae miſerrimos in hoc ſtadio adhuc ſervatos eſſe narrant. Attamen cum recentiori aetate morbi natura accuratius cognita ſit, cumque certae obſervationes, a NUGENT & TISSOT nuper factae, manifeſte declarant, morbum non ita comparatum eſſe, ut prorſus ſanari nequiret; non eſt cur tantopere metuamus, atque BOERHAAVII *ſententia*, *aquam iam paventium ſanatorum exemplum duci certa fide nullum*, merito nunc arctioribus reſtringenda eſt limitibus.

Cauſſae autem, cur medicis, morbum iam eo provectum rarius tantum ſanare, contigit, in eo primis poſitae eſſe videntur, quod ſyſtema nervorum adeo vehementer commotum ſit, ut vel efficaciſſima antiſpaſmodica, & ſopientia, ea quae alias praeſtare poſſunt, perficere non va-

leant; tum quod maxima aegroti adſit difficultas liquida aut in corpore perferendi, aut deglutiendi, quod quidem medico omnem tollit rationem efficaciſſimorum remediorum multa adhibendi, quae non ſolum vehementes ſpaſmos lenire nervorumque ſyſtema ſedare, ſed etiam malos eorum effectus aut cavere aut ſanare poſſent. Omnia igitur medicamina aegrotantibus ſicca tantum forma exhibenda ſunt, quae vero forma haud raro parum proficit. Omnes contra potus, ad inflammationem praecavendam, & corpus humectandum quam maxime neceſſarii, inutiles redduntur, atque raro etiam balnea tepida, tam ſalutaria, hi aegroti ferre poſſunt. Quod ſi his omnibus difficultates, quae obeniunt, addimus, venenum, tantos effectus prodens, in toto corpore late diffuſum, humoribus adeo aſſimilatum, ut eius naturam venenoſam plane aſſumſerint, ex iiſdem rurſus eliminandi; plures cauſſas cur iſte morbus rariſſime curatus ſit, indagare minime neceſſarium videtur.

§. XXXIII.

Iam oritur quaeſtio, num etiam in hoc ſtadio commendanda ſit *Belladonna*, atque eundem fructum, quem in priori praebebat, ſperare iubeat. Quanquam vero hanc ipſius effi-

faciam nondum experientia ſtabilivit, ex iis tamen, quae ſupra de huius remedii effectibus monui, apparet eam fortaſſe vel in hoc ſtadio cum fructu adhiberi poſſe. Nam ſi quae alia antiſpaſmodica remedia illos vehementes ſpaſmos ſopire nervorumque ſyſtema rurſus ſedare poſſunt; ſane *Belladonnam* id facere poſſe ac debere exiſtimo. Nam in morbis huic ſimillimis, ut in mania, *Belladonna* ſaepius multum profuit; hypochondriacis & hyſtericis malis, narrante Cl EVERS (*a*) *eadem non minus tuto medetur, quam febri intermittenti Cortex Peruvianus*. Nonne ergo Belladonnae hydrophobicos ſpaſmos, hyſtericis adeo ſimiles, etiam ſopire poſſet? Iam ſupra docui quo modo in priori huius morbi ſtadio Belladonnae uſus ſalutaris eſſe poſſit, cur tandem in hoc idem locum non obtineret, cum prius ſtadium quoad ſymptomata, hydrophobia excepta, ſolis gradibus ab hoc differat? Quod ſi igitur in poſteriori adhuc fieri poteſt, ut venenum, ulla excretione aucta, e corpore expellatur, Belladonnam quoque iiſdem viis, quibus, ut veriſimile eſt in priori fiebat, id efficere poſſe arbitror.

(*a*) In Schmuckers chirurg. vermiſchten Schriften B. 1. pag. 181. Not. 5.

SECTIO VI.

Cautelae ſub uſu Belladonnae obſervandae.

§. XXXIV.

Multus ſane fui in demonſtranda ratione, qua per narcoticas & diaphoreticas *Belladonnae* vires venenum canis rabioſi e corpore eiici, morbuſque tuto praecaveri, ac ipſe curari poſſit. Quo vero eundem Belladonnae effectum aeque certo in poſterum conſequi poſſimus, reſtat adhuc, ut declarem, quonam tempore, quibus cum cautelis, & quanam doſi illam exhibere debeamus. Cum vero incertum ſit, quam diu corpori inhaeſurum ſit virus, antequam effectus producat horrendos, nec ſine iniuria timendum ſit, ne multo maiores inde excitentur difficultates, venenum, ſi iam dudum in corpore fuerit, aut perturbationibus haud mediocribus idem vexaverit, rurſus expellendi: Belladonnae, praeſervantis remedii uſum nequaquam proferendum, immo quam citiſſime, ſtatim infectione facta, illam adhibendam eſſe, facile quiſquis videt. Quo propriores huic momento accedimus, eo maior & certior optimi ſucceſſus enaſcitur ſpes. Tempus quidem Belladonnae ſumendae commodiſſimum, niſi neceſſariae immi-

nentis morbi indicationes celeriores poſcunt effectus, eſt veſpera. Somni enim proclivitas, laſſitudo inde orta, atque ſudor ſuccedens, inprimis hic utilis, cogunt, ut aeger dum vim ſuam exſerit Belladonna, in lecto ſe retineat.

§. XXXV.

Aegroto vero unicuique ut apta doſis porrigatur, unde optimum ſucceſſum exſpectare liceat, omnium regularum, quae in doſi omnium remediorum deſtituenda, graviſſimae ſunt, rationem habere neceſſe eſt. Praeter aetatem enim ſolam, etiam ad diverſas corporum diſpoſitiones, eorumque naturas animus advertendus eſt; doſes etiam pro diverſis temperamentis mutandae ſunt. Phlegmaticus enim maiorem fere omnium medicaminum ſuſtinet doſin, cholericus & ſanguineus contra a minori eoſdem effectus conſequitur. Idem cadit in diverſam hominum educandorum rationem. Sicuti enim mollis educatio reddit corpus delicatulum, cui a doſi parva magnus oritur effectus: ita eadem durior in corpore efficit omnino contraria. Porro ad iuſtam debitamque Belladonnae doſin contra hunc morbum determinandam, neceſſario finis, quem propoſitum habemus, reſpiciendus eſt. Cum itaque hic adverſus pertinacem cauſ-

ſam pugnandum , atque venenum validum e corpore expellendum , eoque morbus avertendus ſit , qui eruptus , omnibus medicamentis pertinaciter repugnat , cuique difficillime medetur ; eum quidem finem non , niſi medicina magnam efficaciam prodeunte , doſibuſque plenioribus conſequi licet : ideoque omnes medici huius morbi remedia praecipientes , nunquam non has deſiderarunt conditiones . Aegroti ſalus poſcit , ut omnia quam celerrime peragantur ; parvis autem Belladonnae doſibus non poſſumus non a fine propoſito aberrare . Neque igitur continuatus eius uſus parvis quidem doſibus admittendus eſt , praeſertim quum experientia cognoſcimus , nullo modo ipſi in ſanando confidere non poſſe . *Pater optimus* feminae , a rabioſo cane demorſae , veritus , ne magna doſi malos ipſi pararet effectus , quippe quae admodum debilis erat , ſimulque lactans , initio parvas radicis Belladonnae doſes dedit , foliorumque uſum parvis item doſibus diu continuavit ; ſpatio autem trium menſium & quod excurrit , praeterlapſo , incidens in *hydrophobiam* periit .

§. XXXVI.

Cum *Belladonna* in promptuario Hannoverano , ut caninae rabiei remedium primum pa-

blicaretur ; doſis radicis admodum vaga, non pondere, ſed menſura cochlearis minimi aut cultri cuſpidis, tam pro hominibus quam pecoribus conſtituta eſt. Ibi enim praecipitur, *adulto unum minimum cochleare vel cultri cuſpidem, infanti bienni octavam cultri cuſpidis partem tribus quidem vicibus, ſpatio quadraginta octo horarum ſemper interiecto, exhibendam eſſe*. Quam quidem minus accuratam rationem ac incertam iam *Promptuarii editor* in nota quadam obſervavit, ſimulque optans, ne doſis incerta menſura, ſed granorum pondere determinata eſſet. Quem quidem *venerandus meus Parens* eatenus ſequutus eſt, quatenus poſt quadraginta octo horas novam ſemper Belladonnae doſin propinavit, eoque intervallo id aſſequutus eſt, ut aegroti vehementibus eius effectibus nunquam nimium debilitarentur maioraque mala ipſis adderentur. Tres etiam doſes frequentiſſime ad hydrophobiam cavendam ſufficere expertus eſt. Sed doſes, quas aegrotis dedit, nunquam tam incerto modo dimenſus eſt, qui forte in aliis medicaminibus, Belladonnae virtutem non aequantibus, atque in pecore fortaſſis, nunquam autem in hominibus, defendi poteſt. Iam ab initio, cum prima experimenta in *Promptuario Hannoverano* patefaceret, doſin radicis & foliorum Belladonnae accurato pondere definivit. At multo ac-

curatius atque etiam magis determinatae *Bella-donnae radicis doſin*, qua in hoc morbo praecipue uſus eſt, in *Ill. Archiatri* RICHTERI bibliotheca chirurg. iam ſaepius laudata (*a*) convictus erat, quantum valeret, ut hoc medicamen doſibus continuatis augeretur, cum hominis natura *Belladonnae*, remedio narcotico, eadem facilitate, qua opio, cicutae aliiſque his ſimilibus, aſſueſceret, ac deinde, quam neceſſe eſſet, ut doſis ſemper aucta exhiberetur, ſi quos effectus a prima doſi, eoſdem a ſecunda, tertia, reliquiſque ſperare cupimus. Tam frequenti igitur ac felici experientia duce, *radicis Belladonnae* doſes ita demum determinavit.

Infanti anniculo, prima doſi granum unum, ſecunda & tertia granum unum & dimidium.

Infanti Bienni quoque doſi grano duo. Infanti trienni, prima doſi grana duo, ſecunda & tertia duo & dimidium ad tria. Infanti quadrienni aut quinquenni prima doſi duo grana & dimidium, ſecunda & tertia grana tria vel tria & dimidium ad quatuor. Infanti ſexenni vel ſeptenni, prima doſi quatuor grana, ſecunda quatuor & dimidium, tertia quinque ad quinque & dimidium. Annorum octo vel novem infanti prima quatuor & dimidium, ſecunda & tertia doſi

(*a*) V. Band, 2. St. pag. 383.

quinque ad ſex grana. Decem vel undecim annorum puero prima doſi quinque, ſecunda quinque & dimidium, tertia ſex grana & dimidium. Annorum quatuordecim aut ſexdecim iuveni prima doſi ſex grana & dimidium, ſecunda ſeptem & dimidium, tertia octo & dimidium. Septemdecim ad quinquaginta annorum viro prima doſi decem grana, ſecunda duodecim, tertia tredecim ad quatuordecim. Annorum quinquaginta ad ſexaginta viro prima doſi grana ſex, ſecunda octo, tertia novem. Annorum ſexaginta ad ſeptuaginta ſeni prima quatuor grana, ſecunda & tertia doſi ſex ad ſeptem. Septuaginta ad annorum ſeni prima doſi tria grana, ſecunda & tertia quatuor.

Id autem tuto aſſerere poſſe exiſtimo, eum, qui tot experimenta cum medicamine aliquo contra ullum morbum coeperit, uti *Parens optimus cum Belladonna adverſus rabiem caninam*, mediam remedii doſin definire optime callere. Quam ob cauſſam & quoniam crebra *eius* experimenta fere ſemper proſperrime ceſſerint, tutiſſimam viam ſequi opinor, ſi doſin laudatam, tanquam mediam, etiam in futurum uſum commendo. Neque vero id indicare omittendum eſt, plurima *eius* experimenta, uti *ipſe* monet, in hominibus durioris educationis & robuſtioris naturae eſſe inſtituta, ideoque in delicatioribus ab iſta regula eſſe diſcendendum. Tres quidem doſes earumque

augendarum ratio ſolummodo conſtituta eſt, tum quia *optimus Pater*, uti iam monui, fere ſemper trinis diverſis doſibus morbum omnino cavere potuit; tum quia facillimum unicuique erit, ceteras doſes, ſi continuandae eſſent, augere atque determinare. Temporis vero ſpatium, quo Belladonnae uſus nequaquam intermittendus eſt, morbo finito potius, quam ante eundem definire poſſumus; Semper quidem adhibenda eſt, dum ullum praeſentis veneni ſignum in vulnere adhuc conſpicitur, quod venenum ex dolore, tumore, ac vulneris adiectarumque partium tenſione cognoſci ſolet. Inſuper tutiori via incederemus, ſi remedium longius, quam opus eſſet, continuaremus, quam ſi ante iuſtum tempus ſeponeremus, quum illud nihil, hoc multum damni inferre poſſet.

§. XXXVII.

Effectibus vero *Belladonnae*, non parvis adhibitae doſibus, uti, ne indicationibus repugnetur, hic neceſſe eſt, quaedam aegroti incommoda perpetuo ſuccedunt, quae tamen, praeter id, quod gravant, nunquam nocent. GREDINGER ſaepiſſime hoc medicamine uſus *moleſta*, ait, *inter Belladonnae uſum ſymptomata ſunt capitis obnubilatio, vertigo, oculorum*

caligines, *rubores*, *quae maiori ſub doſi ſolum oriuntur*. Eadem quoque *Parens venerandus* ſaepius in aegrotis expertus eſt, in iis praeſertim, qui, cum aliis comparati, magnam ſumſerant doſin. Nunquam vero alia inde orta ſunt mala, niſi quod laſſitudinem nonnulli per aliquot dies ſentirent. Illa vero aegris frequentiſſime eo allevare potuit, ut lac frigidum ipſis porrigeret.

Ut autem vehementes hos Belladonnae effectus, quibus ſaepe etiam delirium accedit, praecaveamus, ad primas vias antea reſpicere, quam maxime valet. Sordes enim, imprimis bilioſae ventriculi & inteſtinorum maximam ad Belladonnae effectus vim exſerunt, eoſque haud raro ita augent, ut aegroti quam maxime inde graventur. Notabile eiuſmodi exemplum b. *Archiater* SCHROEDER litteris communicavit cum *Patre optimo*, quod hic adponere liceat. *Seni ſeptuaginta annorum*, ita enim refert, *a cane rabido morſu laeſo, decem radicis Belladonnae grana e veſtigio, a quodam medico propinata ſunt, eaque doſis quatuor horis poſt repetita eſt. Grave delirium inde ſecutum, duodecim horas durans; in ipſo linguam impuram, ſaporem amarum, depravatum deprehendi; vomitorio deinde exhibito, & ventriculo quamvis ſordibus adhuc repleto, 48. horis praeterlapſis, iterum decem radicis Belladonnae grana dedi. Delirium deinde valde increvit.*

Rhabarbari & ſalis uſu per aliquot dies continuato, lingua cum pura ſaporque naturalis eſſet, denuo decem eiuſdem radicis grana propinavi, neque delirium ullum exortum, neque ipſius ſanitas interrupta eſt. Idem poſtea, antequam Belladonna in canina rabie uteretur, uti ſaepius ei contigerat, ſemper dedit vomitorium, eiuſque effectus, licet magna doſi datae, nunquam enormes, abſque delirio, expertus eſt. Praeſentibus itaque ſordium ſignis, idem obſervare imprimis ſuadendum erit. Terror, hominis animum, cum a rabido animale invaditur, occupans, metus, vehementioreſque animi commotiones, quibus deinde agitatur, omnino ſunt eiuſmodi cauſſae, quae bilem depravare, corrumpere, brevique ſordes in primis viis gignere poſſunt. Quod ſi vero nihilominus Belladonnae effectus adeo increſcerent, ut aegrum nimia afficerent moleſtia, neque lacte hauſto ſatis minuerentur; quaedam ſolummodo *aceti* cochlearia ipſis porrigenda ſunt. Quod quidem iam *Conr.* GESNER (*a*) laudat; idem MILLER (*b*) & MAY (*c*) confirmant, & FRICCIUS (*d*) ait, *ſi ſolanum, ut venenum no-*

(*a*) Epiſtol. Lib. 1. fol. 34.
(*b*) Plants. Vol. 1. pag. 41.
(*c*) *Hannoèv. Mag.* 1773. *St.* 97.
(*d*) Paradox. de venen. Cap. XX. pag. 363.

cet & corpus laedit, acetum, omnium venenorum commune alexiterium, ei opponendum eſt. Paulo infra, eundem ob finem, *ſuccum limonum* aut *Citri* recenter expreſſum commendat. Atſi Belladonnae vel radicis vel foliorum vel aliarum partium, quae quiſquam ſciens, vel ignorans ſumſerit, copia tanta fuit, ut mali atque venenati effectus inde metuendi eſſent; eas particulas, dum adhuc in ventriculo latent, vomitoriis praeſertim expellere annitendum eſt.

§. XXXVIII.

Quum aeger inter Belladonnae effectus moleſtam ſaepiſſime oris ſiccitatem, magnamque ſitim ſentit, utramque potu levando, Belladonnae effectus minui, vel etiam cohiberi, olim autumarunt; ideoque, cum Belladonna primum adverſus caninam rabiem publicaretur, graviter vetarunt, ne octo horis poſt, medicamine ſumto, aegris potus, quid? quod ne illud quidem remedium aqua aut alio liquido permixtum, daretur. Quae vero agendi ratio non ſolum immitis ac ſaeva adverſus aegrotum, ſed etiam plane inutilis eſt, adeoque omnino reiicienda. Dure quidem aegrotum tractant, quoniam id denegant, quo moleſtam oris & faucium ſiccitatem allevat, etſi ſitim, hoc loco ſpaſticam potus exſtinguere non valet; inutile etiam eſſe, docet

experientia, cum potus, inprimis aqua non nimia quantitate, Belladonnae effectibus nunquam obſuit.

Longe gravius eſt, aegroto inter eoſdem huius medicaminis effectus omnia interdicere eſculenta, quippe quae ipſum modo gravarent, effectuſque potius impedire poſſent, niſi id monere ſupervacaneum eſt; cum iam inde ab antiquiſſimis temporibus, annotantibus quoque MATHIOLO (*a*) & *Conr.* GESNERO (*b*) notum ſit, Belladonnam, dum effectus producit, omnem ciborum appetitum delere. Maxime vero ii vituperandi ſunt, qui ab aegroto toto quidem die, quo Belladonnam ſumſit, ſomnum arcere iubent, quodque OETTINGER (*c*) in primis urget, ibidem dicens; *hanc cautelam adhuc repetendam eſſe cenſeo, quod ſomnum poſt Belladonnam ſumptam, aegrum per diem ne invadat, omni diligentia per motum corporis impediri debeat.* Aegrotus autem eo nimium langueſceret, idque eo magis, cum admodum frequenter Belladonna magnam ſomni proclivitatem adfert. Omnino autem nihil mali a neglecta hac regula metuendum eſſe, quotidie experimur. Contra vero id in hac re praecipuum eſt, ut in Belladonnae uſu eo reſpiciatur, ne tranſpiratio aucta ullo pa-

(*a*) Comment. ad lib. Dioſcoridis co. Cap. 69.
(*b*) Epiſtol. Lib. 1. Fol. 34.
(*c*) Diſſert. de Belladonna p. 55.

ſto impediatur, ſed potius promoveatur; idque eo magis neceſſario hic curandum eſt, cum auſta tranſpiratio in hoc morbo via longe princeps eſt, qua venenum e corpore expellatur. In Belladonna quidem adhibenda iam in genere hoc ſuaſerunt, atque OETTINGER (*a*) ait *frigus & aeſtus ſub huius remedii uſu ſunt fugienda, animi pathemata evitanda, & praecipue illud reſpiciendum eſt, quod tranſpiratio, aliaeque excretiones promoveantur*. Quam tranſpirationem promovendam, *parens venerandus* aegrotis commendavit, ut inter Belladonnae effectus lectum tenerent, atque nonnullos potus *Thee* aut alius potus calidi cyathos ſumerent. Atque tranſpiratione bene cedente aegroti ſemper levatos ſe ſenſerunt, eademque ſuppreſſa male ſe habuerunt, angoribuſque vexatos. Inprimis igitur utile erit, ſi partem veneno infectam nunquam non calidam ſervari curamus, ut tranſpiratio aucta, ubi maxime neceſſaria eſt etiam extendatur. Ceteras diaeteticae regulas, ſecundum quas ſub Belladonnae uſu ab omnibus crudis ac dyſpectis cibis ſe abſtineat aeger, omneſque potus ſpirituoſos ſerio evitet, ne ullius rei oblitus eſſe videar, obiter tantum attingam.

(*a*) L. c.

§. XXXIX.

Quomodo autem Belladonnae radix haud fruſtra in ipſa hydrophobia adhibenda ſit, ut vel hoc etiam exponatur, breviter admonendum eſt, maxime eſſe neceſſarium, ut in hoc morbi ſtadio ſatis largae eiuſdem medicamenti dentur doſes. Cum autem fieri non poſſit, ut aegroto fiuida ſub forma medicamen porrigatur, *radicis Belladonnae* pulverem ope ſyrupi glutinoſi, in bolum redigere aut oblatis involutum aegrotis propinare experiendum eſt. Atque id remedium, uſquedum ulli motus ſpaſtici appareant, vel etiam paululum longius continuare neceſſe eſſet. Neque minores indicationes, quae requiruntur, negligendae eſſent.

Si v. c. aeger plethora laboraret, aut ex aliis ſignis inflammatio metuenda eſſet, venaeſe-ctionem inſtituere, eamque pro temporum ratione repetere deberemus. Quod ſi ſordium ſigna in primis viis ſe oſtenderent, illae aut ſurſum aut deorſum ſecundum indicationes evacuandae eſſent. Tartarum vero emeticum praecipue ſuaderem, quippe cui praeter vim, vomitum excitantem, ſingulares vires antiſpaſmodicae & diaphoreticae, hic valde indicatae, iure tribui poſſunt.

Ad ſecundaria remedia imprimis tepida balnea referenda ſunt, quippe quae iam a tam

multis commendata, ſaepius efficaciam prae ſe tulerunt. His igitur, dummodo aeger ullo modo ea ferre poſſit, per tantum temporis ſpatium, tantaque copia, quanta fieri poteſt, utendum eſſet. Praeter vero antiſpaſmodicas & ſopientes eorum vires, etiam id efficere poſſunt, ut corpus, quod potu deficiente, vehementibuſque illis ſpaſmis admodum exſiccatum eſt, rurſus madefacerent. Rariſſimis caſibus, ubi in hoc morbo inteſtina eandem, quam fauces ac os adverſus liquida ſenſibilitatem proderent, exceptis, clyſteres emollientes, quos WHYTT cum opio miſcendas commendat, certo eandem adferrent utilitatem, quam in aliis morbis ſpaſticis ex iis percipere licet. Externa autem olei olivarum iniunctio in vulneratis viciniſque partibus, quod NUGENT purum, TISSOT vero cum camphora & opio mixtum, tam ſalutare expertus eſt, eo gravius ſuadenda erit, cum aeger, uti haud raro fieri ſolet, acerbiſſimos earum partium dolores atque convulſiones perferat.

Frigida autem balnea, quanquam inde a vetuſtiſſima aetate commendata, tamen denuo ſuadere dubito. Famâ enim, quam conſecuta ſunt, nullo modo digna eſſe videntur, neque magis primariis quam ſecundariis conveniunt indicationibus, hoc eſt, neque ſunt antiſpaſmodica, neque inflammationem cavent; aut ſanant, aut

aegrotis aquae metus notionem vi tollere poſſunt. Nec raro inſuper omnino nihil profuerunt, immo ſaepius nocuerunt.

Ceterum vehementer laetabor, ſi experimenta in poſterum capienda, me haud vanis rationibus commotum uſum huius remedii commendaſſe demonſtratura ſint; nec parvo mihi erit ſolatio, ſi vel tantillum eo contulerim, ut medicamen adverſus morbum, hominibus adeo horrendum, in cuius medela ſaepius medici in errores delapſi ſunt, magis innoteſceret (*).

(*) Litteris ab amico viro ill. Archiatro, Conſil. Aul. & Profeſſore Med. *Herbipolenſi* D. WILHELM, die 13. Septembris 1784. ad me datis, ſequentia inſunt, quae his addere oportet. „ *Belladonnam*, inquit, certiſſimum eſſe contra *hydrophobiam* prophylacticum *quinque* caſus a me obſervati (in magno, quod ſub huius eximii Viri praeſidio floret, Noſocomio *Iuliaeo*) evicerunt. Expertus & ſum remedium *Borruſſicum*, *bis*, itidem cum ſalutari effectu; aſt horrendam (quod & alii iam obſervarunt) *ſtranguriam* cum mictu cruento excitavit: hinc *Belladonnam* praefero. Hydrophobiâ natâ, & *Moſchus*, & *Belladonna* non profuerunt „. Quodſi Medici ſinguli ſuas in tam arduis circumſtantiis inſtitutas experientias eodem candore aperirent, & cum Publico communicarent, non dubito, & in hoc morbo tractando ſpem ſupereſſe melioris tandem methodi. Inſerviet *delectus* hic *Opuſculorum Medicorum* & noſtris & alienis, ſi communicentur inpoſterum, obſervationibus eiuſmodi mox arrepta mihi occaſione patefaciendis.

IOHANNIS PETRI FRANK

M. D. CONSILIARII AULICI AC ARCHIATRI SPIRENSIS

EPISTOLA

INVITATORIA

AD

ERUDITOS

DE

Communicandis, quae ad Politiam Medicam ſpectant, Principum ac Legislatorum Decretis (*).

VIRI AMPLISSIMI, DIGNISSIMI!

QUanta ſit in conſervanda populorum atque civitatum valetudine dignitas, & quam inſignis

(*) Quamvis haec *Epiſtola*, ante decem hos annos a

regularum ad hoc ſpectantium tum multitudo, tum neceſſitas, nemo ſane dubitaverit, qui verae felicitatis inſeparabilem comitem, corporis integritatem puto, multiplicem eius amittendae occaſionem, & eximium in incrementum Reipublicae influxum intellexerit.

Cognoverunt rei gravitatem Principes ad

---

me conſcripta, ad labores *academicos* neutiquam pertineat; lubens tamen, & eodem animo, *Italiae* Eruditis, data mihi nunc occaſione, eandem tranſmitto, quo Patriae quondam Litteratos in ſubſidium operis vocavi, cuius nunc *tria Volumina*, atque primi Tomi nova mox Editio, ſub *Politiae Medicae* titulo, germanico Idiomate a me delineata, apparuerunt. Cum non inutile opus hoc viſum ſit Lectoribus: facile quondam eiuſdem in ſermonem latinum in me ſuſcepturus ſum verſionem, atque ut maiorem labori perfectionem conciliem, preces meas & hic terrae repetendas eſſe duxi. Primus ego hanc arduam ſcientiae medicae partem pro ſua dignitate excolui, medium nunc opus abſolvi: quin tamen, quod exſpectare decebat, ſubſidia aliena, multa ſaltem, impetraverim. Felicior forte ſub hoc coelo, in rebus coeterum non me, ſed humanum genus omne, ni fallor, proxime concernentibus, futurus ſum; & ſi eſſe non contingat, feci tamen, quae ſuſcepti laboris gravitas a me, cum ſolus humeros eidem ſubmitterem, poſtulabat, contentus & mea in his viriliter praeſtitiſſe, neque maiorem viribus propriis quam par erat, — minorem forte, quam benignum litteratorum poſtea iudicium in me poſuit, fiduciam adhibuiſſe.

exemplum nati, & ad hoc ab illis inſtituta ſunt, noſtris tandem temporibus, illuſtria illa ſanitatis publicae in diverſis regionibus collegia, quorum praecipua & nobiliſſima certe in hoc ponitur cura: ut, quae incolumitati publicae obſunt, removeantur, quae conſervandae & adaugendae civium ſaluti inſerviunt, inſtituantur.

At vero, cum ampliſſima rerum in hunc finem conſiderandarum ſeries, & adhuc nimium recens ſit omnino, pro obiecti auctoritate, inſtitutum; multa, & in confirmando ſanitatis publicae ſtatu non ſane infima, intacta relinqui oportuit, quorum accuratior demum inquiſitio, rerum vix aeſtimatarum praeterviſum fere influxum ulterius inveſtigandum, atque, prout huic vel illi provinciae ac populo conveniat; eruditis ſerio diiudicandum, iniungit.

Praecipua quidem, ac ferme ubique iam recepta regula eſt, & in hac fere ſola, multis in locis, univerſus Politiae medicae cardo vertitur, ut Pſeudomedicorum & agyrtarum peſtis ac rabies ab incautis, quorum numerus in omni Republica mirum quantus eſt, avertatur, & medicinam faciendi facultas peritis ſaltem in arte viris concedatur; aſt vero, quemadmodum lex haec vix centeſima eſt illarum, quas integrum corpus Politiae medicae ſinu benefico comprehendit; ſic nec in hac quidem viam breviorem

ingreſſi ſunt Legislatores, ad eruendum radicitus malum, neque ſolis verbis oppugnandum, neque poenis ſine arte, & humani ingenii cognitione iniunctis, delendum. Mirum ſane! ... a tot iam ſaeculis legi huic (ut pro exemplo rem hic proſequar) illudi, nec tamen, quare malo tollendo impar fuerit, cognoſci; cum tamen ſat parvo ſaepe labore opus ſit, noto civium ingenio, invenire viam in propulſando malo tutiorem, certiorem; exemplum ad id largientibus Mileſiis, quorum virgines, ignota de cauſſa, mente ſubito alienatae, indieſque crebrius, quin ulla ad id adhibita medicamina furorem infringerent, mortem quaerentes, ſolo hoc decreto abſterreri potuerant, quo corpora a ſemetipſis ſuſpenſa, cum eodem laqueo, quî eſſent pervincta, nuda efferrerentur. Superſtructa ſcilicet cognitae ſexus verecundiae lex a fine aberrare vix potuit: a quo & ſimilis, ni omnia me fallant, nunquam aberrabit methodus, pro modo, & rerum circumſtantiis variata. Suicidium enim eſt, inſanae mentis, & nulla vel doctrina, vel abhinc deducenda auctoritate praedito homini periclitantem ſalutem committere, mortemque ſibi adſciſci; idemque pro qualicunque Republica funeſtum civium delirium, a quo nec agyrtam, nec aegrum quaevis alia abſterrebit poena, niſi talis ſit, quae pſeudomedicum red-

dat infamem, hinc ab omni humano conſortio propeliendum; hunc vero, ubi ſub ignoranti manu decedat, curet, legibus id caventibus, a medicis phyſicis publice ſecari: ut ab hinc ſtatus morbi lethiferi, & adhibita medendi methodus quandoque comparentur, & ubi haec contraria fuerint, inquiſitione in agyrtam facta, verum homicidam, quem ſtrictiſſime agatur.

Quare, ſicuti his, quae pridem ad Politiam medicam, ſine meliori tamen effectu, revocata ſunt, multa certe vel addenda, vel mutanda inſunt; ita praecipue manca ſunt, quae in innumeris fere aliis ſanitatem publicam reſpicientibus circumſtantiis obtinent, in quibus vel leges omnino ſilent; vel non pro rei dignitate loquuntur, vel ſparſim ſaltem & in quibuſdam tantum provinciis promulgatae ſunt.

Quam optatum igitur quamque deſiderabile opus, ac ſuccincta praecipuorum decretorum collectio, quae olim & noſtris etiam temporibus, circa publicam civium ſalutem, ubicubi fuerit, lata ſunt: eorum ad rationis & experientiae principia ulterior diiudicatio, & ubi talia, ut in quamplurimis obtinere ſolet, plane deficiunt, prout res poſtulat, nova expoſitio! — Aſt vero, quam ſimul, arduum, quamque impar unius hominis viribus opus! quanta rerum hic conſiderandarum copia, ac diverſitas, & quam difficilis in ſingulis ratio!

Neque tamen haec omnia, quo minus ab opere ante plures iam annos incepto, ac, prout videbatur, humano generi neceſſario ac utili, abſtineam, poſſunt: neque ſummum in rebus maximis vacuum abſterret; quod, ſi vel ad dimidium replevero, non inutiles mihi dies tranſegiſſe videbor. Vacuum dico: quid enim ſunt aliquot, in hac rerum elaborandarum ſerie, felicia quamvis virorum celebrium ſparſim & in tam diverſis temporibus & academiis edita tentamina, ut (quod ſcriptorum talium indigna certe, ſed tandem a clariſſimis viris, MURRAY, BALDINGER, & TODE, vindicata ſors fuit) vel haberi amplius non queant, vel, ſi poſſidentium favore communicata fuerint, opus exhibeant ſine conſenſu & ordine totius digeſtum, repetito eadem pertractans, particularia, & ſaepe parva nimis, valdopere extendens, neque a longe quidem ſummam rerum attingere ſolitum; conſueto ſcilicet in humanis progreſſu: ut, in rebus arduis, plures eruditorum manus, ſingulae vel lapidem ad futurum aedificium conferant, quo ex his dignum tandem humanae miſeriae refugium poſteritati exſurgat.

Pluribus igitur ad exoptatum hoc opus a me iam pridem paratis, & ſub manu creſcentibus materialibus; ad eruditos litterarii orbis omnium claſſium viros, iis me, quibus par-

eſt, precibus converto, ut pro ſuo in felicitatem humani generis glorioſo influxu, & ad hoc aedificium impertiri manus beneficas dignentur, laborem cum honore dividant, &, ſi quid in me eſt, quod ad ſuſcipiendum hoc opus aptum reddat, id amicis monitis erigant, auxilio ſublevent, conſiliis dirigant.

Ne vero de neceſſitate laboris ſuſcepti, qui in exſtruendo Politiae medicae pleniori opere ponitur, in longius hic differam, ut, quae ab omnibus uno ore agnoſcitur, qui legum in hac ampliſſima materia defectum, & exortum abhinc annuum, in quacunque Republica, vix reſarcibile damnum attendunt; id mihi ſaltem hic loci incumbere arbitror, ut de ordine mihi in tali labore propoſito, atque de illis ſermonem faciam, in quibus praecipue hic implorata Eruditorum benignitate indigeo.

Multa ſunt, cur praeiviſſe meis his conaminibus valdopere deſideraſſem viros celeberrimos, BALDINGERUM, & praemature nimis abreptum beatum RICKMANNUM, quorum uterque operis Politiam medicam ſpectantis quondam a ſe edendi ſpem fecerat, quam & nuperrime renovari video (*a*). Quamvis enim pro-

(*a*) Magazin vor Aerzte, Vorrede.

priam ipſis & huic ſuo labori perfectionem fore conciliaturos mihi lubens perſuadebam ; tantum tamen abfuit , ut crediderim ſocium laboris , in hoc opere difficiliore , ut forte ſuperfluum , aegrius laturos fuiſſe ; ut potius hanc , quam nunc ego viam , mutuum ſcilicet ſuper his cum Eruditis commercium , pro operis perfectione , uti ſaltem mihi videbatur , abſolute neceſſarium , ingreſſuros fuiſſe , mihi non difficulter perſuaſerim .

Expoſuit , quod tamen omne eſt , operis futuri planum RICKMANNUS (*a*) , in quo hunc ſibi in Politia medica edenda impoſuerat ordinem , ut doceret : primo , a vita civium quaevis generaliter noxia avertere : ſecundo , in praeſentibus miſeriis opem citiſſimam optimamque , in quantum liceat , adferre ; tertio , periculum quod a morbis epidemicis imminere ſolet , diminuere . Quamvis autem in his omne fere bonum lateat , quod ab arte medica ſperari licet ; generalem tamen nimis ideam crediderim , & ex qua minus pateat , quidquid hoc opere pertractandum foret .

Cum & ego , quemadmodum retuli , iam pridem de ſuſcipiendo hoc onere ſerio cogitaviſ-

(*a*) Von dem Einfluſs der Arzney-Wiſſenſchaft auf das Wohl des Staats .

ſem; ſaepius volvi animo, quanam via incedendum foret, ut exquiſitior in rebus pertractandis ordo, in elaboranda tam copioſae materiae compage, non levi forte auxilio eſſet; tandem poſt varia tentamina, hanc mihi in laboribus legem impoſui: ut in primo ordine tractarem ea, quae circa generationem & multiplicationem ſanorum civium, utpote primum ac validiſſimum cuiuſvis Reipublicae fundamentum, occurrunt, quo in genere ſeſe plurima obtulerunt, primo, de coelibatu laicorum, de praematuro matrimonio, tum de illo, quod inter aetate maxime inaequales fit, diſcurrere. Sequebatur damni expoſitio, quod ex illorum connubio infertur reipublicae, qui, deletis iam plane, per morbos liberis communicabiles, vel alios, generationis viribus, ſemine perquam corrupto ad opus hoc accedunt, & morborum fatalium ulteriorem in civitatem propagationem vel facilitant, vel ſaltem prolem largiuntur, nec patriae idoneam, nec utilem agris, nec bellorum parem, & pacis rebus agendis.

Poſtquam varias in his, nec levioris momenti res exponendi ſe obtuliſſet occaſio; ad ea me convertendum credidi, quae, curam Magiſtratus circa nuptiarum rationes caeteras, circa praegnantes, circa infanticidia & expoſitionem illegitimorum avertenda, tandem vero circa par-

turientium & naſciturorum privilegia, expoſcentia merito conſideranda erant. Ut vero tam puerperarum, quam & naſcentium, prout vivi vel mortui, ſoli, aut gemini naſcuntur, ſtatus & mortalitatis ratio pateret: ex recta horum, &, prout me praxis edocuit, obſtetricum etiam ingenio accommodata & facili in claſſes diſtributione hic tradita, quid boni tandem exſpectari poſſe arbitrabar.

Addita eſt his, quae iam pridem Romanorum cura exercuit, legis ſic dictae Regiae conſideratio, circa quam, uti de matre quondam adhuc ſervanda, ſic & de prole educenda, & praemiis ad id expoſitis, ubi mortua appareat, a praeſentibus ad vitam, non dubiis certe experimentis revocanda, non indigna notatu obveniebant. Memor nunc eram & illorum, quae, ut ad tuendam puerperarum ac neonatorum valetudinem & nutritionem attinentia, — de iniuſta & legibus praecavenda uberum detractione, de nutricum in civitatibus neceſſaria proviſione, quibus cautelis nutriendi facultas iiſdem, poſt exactum corporis & animi examen, concedi debeat? de lactationis diuturnioris in populationem damnis, & temporis huic operi impendendi ratione, — de Baptiſmo, hiemis tempore, non ſine omni diſcrimine, adminiſtrando, & de huius incongrua ut plurimum prope puerperas

celebratione, revera Magiſtratuum curam expoſcunt: quo capite & de frequenti puerorum in matrum lecto, ſomni tempore, ſuffocatione impedienda, tandem vero & de horum, ubi adoleſcunt, cum ſenioribus, noxia ſaepe in uno, eodemque lecto accumbendi conſuetudine, ubi aliter fieri poteſt, reformanda, ac de caeteris quam plurimis mortis cauſſis non magna opera praecavendis, agitur.

Ad ulteriora progreſſo, videbatur mihi imprimis incumbere, ut & ea attingerem, quae circa veſtitum puerorum, nec a Romanis quondam neglectum, & a quo perſaepe corpora iuvenilia laeduntur, dicenda eſſent. Sequitur de artis gymnaſticae ad firmanda iuventutis corpora, neceſſaria reintroductione, oratio: ubi & de balneis frigidis publicisve ordinandis, ad quae ſub neceſſaria inſpectione, in locis praecipue maritimis, adoleſcentes admittantur, ibique natandi artem ſaluberrimam addiſcant, ſermonem faciendi occaſio arripitur. Nunc quidem de praematura adoleſcentulorum ad difficiliora vel mentis vel & corporis opera adſtrictione, eiuſque multiplici noxa diſquiritur; ut tandem plenior fiat perſuaſio: non ſoli patrum curae futurorum civium ſalutem, mentiſque & corporis vel rectam, vel deflectentam ab ea, inſtitutionem committendam eſſe.

Adeſt iam neceſſaria quoque rationis conſideratio, qua in ſcholis publicis pueri congregantur & docentur: ubi tam de locorum, ubi id fit, conſtructione, quam de cautelis ſermo habendus erat, quibus rudior ſaepeque exitialis magiſtrorum in parvulos ſaevitia cohibeatur; eorum ſanitas vero, quae adeo multiplici occaſione, tam contagii, ſcabiei, variolarum, vel & alterius epidemiae tempore ſibi mutuo communicandi, quam & caeterarum cauſſarum concurſu, deſtruitur, conſervari, Patrum Reipublicae gratia, valeat.

Cum ſic hominem ab utero, aduſque virilem fere aetatem conſideraſſem; ad ea me convertendum credidi, quae, in communi vita, Magiſtratuum circa ſanitatem publicam attentionem expoſcerent, quo in argumento cum egregio certe ſucceſſu verſatus eſt celeberrimus apud Lipſienſes PLAZIUS. Ergo, quae de habitationibus hominum, earum ſaniori exſtructione, poſitione, de urbium munditie, ſalubritate, & ſecuritate; de aeris puritate; de tempeſtatum, fulminis, terrae motus, atque inundationum effectibus civium valetudini ac urbium integritati noxiis, vel avertendis, vel ſaltem pro humanis viribus imminuendis; quae de paludum venenoſa indole, fluminumque in progreſſu noxia tarditate, vel, ab immixtis variis,

depravatione; de plantis venenatis eradicandis; & animalibus nocivis, vel & rabioſis coercendis; quae de victus diverſimoda, & vaſorum, in quibus parantur, ſic & de aquarum, fontium, & potulentorum variorum ratione, puritate ac natura; tandem, quae de funeſta in civitatibus intemperantia, ac de legum ſumptuariarum utilitate, ſic & de veſtitu tum civium, tum praecipue militum ordinando, varia adducenda erant, adducuntur.

Ad alia converſus, de illis praecipue mentionem facio, quae de re medica & pharmaceutica, de ſic dictis collegiis ſanitatis, &c. monenda ſunt. Chirurgiae in plurimis locis incredibili vix non modo neglectae, & qua demum ratione illi ſuccurrendum credam, praecipue rationem habeo. Nunc de illis, quae ad inſtituendas in omni Republica obſtetrices eruenda ſunt: quo loco non tam earum in ardua ſcientia inſtructionem, ab aliis in arte digniſſimis viris luculenter traditam, quam ſaniſſimam methodum, qua id optato cum emolumento fieri queat, afferendam credidi, cum non parvae, hic, ibi, difficultates deſiderato huic operi renitantur, quas mihi, ſub auſpiciis maioribus, perpetuo meo ſolatio, in Bado-Badenſi Marchionatu, ubi Medici aulici vice quondam fungebar, & in Spirenſi nunc demum Principa-

tu, vincere licuit; ut in his tandem locis; omnia, quae circa haec exſpectari poterant, ſat feliciter proficiant. De agyrtis & pſeudomedicis recoctum ſaepius, ſed infelici ſemper cum ſucceſſu, a multis, articulum, quantum oportet attingere, & receptis iamdum vulgo principiis accommodare ſtudeo.

Non immerito exſpectatur hic obligationum, quas medici verſus Rempublicam habent, diverſarum expoſitio. Hinc & de variis morbis ac epidemiis converſandi locus, & de his, quae, vel ad praecavendas vel avertendas imminuendaſque, vel &, quantum licet, eradicandas fieri debent. Nec pecudum hoc loco morbi contagioſi ac epidemici, & quid quid a medicis vel ſcholis veterinariis hic, non tam in medendo, quam quidem in ſtatuendis cautelis ac regulis, circa paſcua, malique propagationem, praeſtandum ſit, reticenda ſunt. De morborum endemiorum natura ac origine, quae a medicis phyſicis ſucceſſivis experientiis, & quomodo detegenda ſint; quamque ſolicita ubique naturalium productorum, & praecipue aquarum mineralium thermarumque inveſtigatio, deſcriptio, ac ordinatio, ab iiſdem exſpectanda ſit, exponitur.

Quid cum ſubmerſis, ſuffocatis, fulmine tactis, hiemali frigore, vel alio modo apparenter extinctis, lege publica id cavente, praemiiſ-

que adeo, ad exemplum diverſarum Hollandiae civitatum, expoſitis, tentandum ſit, monendum, & quid felicia in hac re, Principum iuſſu, tentata conamina docuerint, adducenda cogitavi. De Daemoniacis, fictove morbo caduco, vel alio, civitates infeſtantibus, quave ratione haec mala feliciter expelli queant, inveſtigatio fit.

Quae circa milites in diſſita loca ſubque variis tempeſtatibus, ducendos, & ad leges ſanitatis, in quantum illis obtemperari licet, regendos, circa caſtrorum, claſſiumque ad maritimas expeditiones ordinationem, deſiderantur, & a medicis dependent, nunc dilucidanda videntur. Noſocomiorum, Xenodochiorum & Orphanotrophiorum, tum & caeterarum quae miſeris pro refugio inſerviunt, habitationum, Piſtrinorum quoque & carcerum, in quantum hic commiſerationi locus eſt, conſiderationem habui, & quae in ſingulis, pro humanae ſortis allevatione moneri poſſunt, monenda cenſebam. Pauperum quoque, in quavis civitate bene conſtituta, praecipue aegrotantium, neceſſaria adminiſtratio, & quae in hac materia ad allevanda media excogitanda ſunt, pro viribus traduntur. Caſſae ſic dictae ſanitatis (Geſundheits-Caſſe) ratio & utilitas expenditur. De morborum in claſſes perquam ſimplices reductione, & fideli, quonam mortuorum ſinguli occubuerint adnotatione, tum quaeſtio fit, qua

tandem morborum uni cuique ditioni propriorum ſeu endemiorum natura clarius eluceſcat, & mortalitatis ratio, ubi cum natis quotannis inducto accuratiori calculo conferatur, pateat.

Sepulturae uſque ad maiorem mortis certitudinem differendae momenta, cimeteriorum extra civitates ordinandorum, cadaverum, tempore epidemico vel & peſtilentiali efferendorum, & quae aliae huc pertinent, rationes, diſcutiuntur.

Atque in his, pluribuſque aliis, quorum enumeratio hic loci vel inutilis eſſet, vel litterarum terminum longe excederet, ſubiectis, futuri operis planum quam maxime circumſcribi, mihi perſuaſi ſemper, atque omnibus viribus laboravi continuo, ut, quae huc pertinerent, ſolicite ex diverſis locis ac regionibus colligerem atque ordinarem. Fateor, cum naturalis aliqua me diſpoſitio ad hunc praecipue laborem invitaret; primum vix omnem operis me perſpexiſſe ambitum, neque forte vires, qua par erat, diffidentia menſuraſſe. Terruit, cum aliquantum proceſſiſſem: quo fit, ut appropinquata obiecta magis oculum feriant, terruit, inquam, materiarum & multitudo & qualitas: ad quod accedebat, quod abunde agnoſcerem, me ſaltem pia in multis deſideria formaturum, &, quod triſte eſſet, celeberrimi HENSLERI effatum veritati nimis convenire: ſcilicet, „ quod

caput proſpiciens; & manus, quae exequantur, non eiuſdem ſemper activitatis ſint, & quod ars medica, & qui civitatibus praeſunt, ſeſe mutuo eadem facilitate negligant".

Aſt vero, neque hae, quaecunque fuerint, quas ipſe mihi in proſequendo opere rationes iterato oppoſui, maiores fuerunt, quam, ut ſaltem circumſpectiorem reddere, ac in tractando labore operoſiorem, quibus in eo imaginationis luſus & nullius executionis commenta evitare, & amicorum ſuper his monita magis attendere aſſueſcerem: quorum quidem tanta hucuſque in me poteſtas eſſe non potuit, ut opus hoc in meis certe oculis difficilis valde executionis, nec minoris momenti res pertractans, pro votis accelerarem, antequam & aliorum humano generi faventium & celeberrimorum Virorum ſuper his monita, manuſque adiutrices, prout nunc facio, ſolicite imploraſſem.

Ad Vos igitur Viri digniſſimi, ampliſſimi! repetitas preces votaque tranſmitto, ut dignemini, quae hic Vobis praeteriviſſe videbor, & quae illuſtrando operi humanitati ſacro inſervire poſſint, praecipue, quas, ab experientia noveritis hic aut ibi cum ſucceſſu adhibitas aut certe adhibendas regulas Politiam medicam attinentes, benigne communicare, ſuper his mecum amico commercio conferre, &, ſi quae ad manus ve-

nerint ſcripta digna, quae conſulantur; haec ea cum fiducia impertiamini: me grato animo, pro ſingulis, expenſas fideliter redditurum, &, prout decet, ne cui fautorum moleſtus evadam, quae alia adhuc obſervanda ſunt, me pie obſervaturum.

Verum, cum, quod dixi, non contemnendum rerum huc ſpectantium theſaurum iam poſſideam, monendum iudico: me hic neutiquam opera in vulgum nota & maiora, vel & quaſvis forte minutias, quas aequi viri iudicii ipſimet diſcernere poterunt, deſiderare; ſed talia me hic praecipue intelligere, quae in diſſitis ſaltem locis innoteſcunt, vel ſolis muris academicis defenſa, nec pro dignitate expiſcanda, meam hactenus attentionem fefellerunt. Caeterum amica litteris communicata monita, & placide in his ſuſcepta inſuper, quid in hac vel illa materia adhuc deſiderandum eſſet, informatio, eo mihi ſemper erit magis praeferenda; quod ſic inutiles aliquando futuras expenſas, tam evitatione duplicitatis operum tranſmittendorum, quam in modo tranſmittendi magis & minus mihi oneroſo, praecavere potero. Neque unquam me quidquid ſit, retinebit, nomina illorum, in grati animi teſſeram publicare, quorum in genus humanum & in me merita & benevolentiam ultro agnoſcere non deſinam.

Pauca ſunt, quae addam quoad ordinem la-

bori huic propoſitum : unuſquiſque etiam alius aliquo laborare defectu videtur : cum , quae hic elaborata ſunt , primo intuitu , cum aliis rectius coniungenda fuiſſe appareant ; quae tamen non iniquum ſubinde locum obtinere videri poſſunt , ubi , quae hoc capite dicenda erant , attentius conſiderantur , & ubi fatendum eſt , unumquodque in circuli circumferentia punctum , vel primum , vel ultimum poni poſſe .

Poſtremum id eſt : ſcilicet me in elaboratis hucuſque operis partibus , lingua patria , quae germanica eſt , ſcripſiſſe ; tum , quod mihi ſit maior huius in communicandis ideis uſus ; tum , quod ſat extenſa ſit idiomatis notio , & denique , quod cuiuſvis nationis Eruditi hoc tandem privilegio gaudeant , & liberaliter utantur . Dabam Bruchſaliae die 6. Ianuarii 1776.

Finis Primi Voluminis.

ELENCHUS.

I.) *Georg. Math.* GATTENHOFF, *de Hypochondriaſi.* pag. 1--64

II.) *Franc.* SCHOENMEZEL, *an Sectio anatomica cadaveribus de Autochiria ſuſpectis?* 65--96

III.) *Chriſt. Frid.* LUDWIG, *de Suffuſionis per acum curatione.* 97--129

IV.) *Arnold.* WIENHOLT, *de Inflammationibus viſcerum hypochondriacor. occult.* 130--178

V.) *Io. Petr.* FRANK, *de Larvis morborum bilioſis.* 179--202

VI.) *Io. Iac.* SCHAERTLICH: *de uſu Opii in febribus intermittentibus.* 203--247

VII.) *Burch. Frid.* MÜNCH, *de Belladonna, efficaci in rabie canina remedio.* 248--328

VIII.) *Io. Petr.* FRANK, *Epiſtola invitatoria ad Eruditos.* 329--347